BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Vossius, Gerardus Joannes

Gerardi Ioannis Vossii De quatuor artibus popularibus, de philologia, et scientiis mathematicis libri 3

Bd.: 1

Amstelaedami 1660

999/4Hist.lit.117
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11061974-0


Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.



GERARDI IOANNIS VOSSII

DE

QVATVOR ARTIBVS POPVLARIBVS,

DE

PHILOLOGIA,

ET

SCIENTIIS MATHEMATICIS,

cui Operi subjungitur,

CHRONOLOGIA MATHEMATICORVM,

LIBRI TRES.



AMSTELÆDAMI,
Ex Typographeio IOANNIS BLAEV.
MDCLX.



ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ
ΤΟΥ
ΠΑΝΤΑΛΕΟΝΤΟΣ ΑΚΤΙΒΑ

GERARDI IOANNIS VOSSII

DE

QVATVOR ARTIBVS POPVLARIBVS,

GRAMMATICE, GYMNASTICE, MVSICE, & GRAPHICE,

LIBER.



AMSTELÆDAMI,

Ex Typographeio IOANNIS BLAEV.

MDCLX.



TIBET

MARTIGNY & CEVLHICE

DE

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, & Prudentiſſimis

Dominis,

AMSTELODAMENSIS

REIPVBLICÆ

CONSVLIBVS,

D. ANTHONIO OETGENS à WAEVEREN, Equiti, Domino in Waeveren, Boxthol, & Ruyge Wilnis;

D. GVALTERO VALKONIER;

D. CORNELIO BICKERO à ZWIETEN, Domino in Zwieten;

D. NICOLAO CORVER.

Nec non

Nobiliſſimis, ac Ampliſſimis Dominis,

VIRIS CONSVLARIBVS,

D. GERARDO SCHAEP, Illuſtriſſimorum Fœderatæ Belgicæ Ordinum Conſiliario, & ad Sereniſſimum Daniæ Regem Exlegato, Athenæi Lugduno-Batavi Curatori;

D. GVILIELMO BACKERO de CORNELIIS, Equiti S. Marci, ac Senatûs Delegatorum Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ, Aſſeſſori;

D. CORNELIO GRAEF, Domino in Polsbroeck, Theſaurario;

Illuſtris hujus Scholæ Curatoribus;

Opus hoc Viri Clariſſimi

GERARDI IOANNIS VOSSII

de quatuor Artibus Popularibus,

humillimè dedicat

FRANCISCVS IVNIVS F. N.

Nobi-

Nobilissimi, Amplissimi, & Spectatissimi

VIRI,

FAm videmus esse humanæ naturæ faciem, ut secundis quisque efferamur rebus; &, dum quid fortè nobis videmur habere præ aliis, extollamus inde supercilium, atque etiam supra alios nosmet censeamus. Neque, ut dictu difficile est, quod potissimùm hominum genus hic pessimus sui amor ita transversum rapiat, magis explicare liceat, quinam majore vel suo, vel minorum, malo ita insaniant. Nimirum ad Regis exemplum universus orbis componitur, nec minùs in Procerum mores Civitas, quàm in Præceptoris sui verba jurat, qui Musarum initiatur sacris: planè ut animum, qui inter hæc nutritur, quanquam malarum artium cæteroquin insolentem, abripi, atque corrumpi necessum sit, dum suis sub ducibus cæcutire discit. Vsque adeò rarum est, ut quis se ad aliorum demittat mediocritatem. Vestra tamen virtus est, NOBILISSIMI VIRI, ut, cùm maximæ Batavorum præsitis Vrbi, tamen ne minimum quidem despiciatis, non dicam, civium Vestrorum, qui non minùs se amari à Vobis, quàm Vos à se coli sciunt; sed exterorum etiam, qui potentiam Vestram

ſtram non tam mirantur, quàm Humanitatem laudant. Et quemadmodum totus ad Vrbem Veſtram confluit mundus, ita prædicat idem, numquam à Veſtro ſe dimitti vultu, quin multò recedat lætior. Certè hæc ipſa non unis vicibus ab Incomparabili Viro, D. GERARDO IOANNE VOSSIO, Amitæ meæ marito, nunc ad beatiores ſedes tranſlato, audire me memini. Equidem non ignarus ſum, quàm non liceat Divinæ refragari voluntati; dolemus tamen, quòd hæc ipſi, uti ſtatuerat, in publico teſtari non licuerit, inſcripturo Vobis hoc ſuum, quod offerimus Vobis, VIRI NOBILISSIMI, &, quæ jam edimus, reliqua. Quòd tardiùs hæc lucem videant, domeſtico dolori dabitis: quo & hæc ipſa tangi videbantur, quæ ante diem parente ſuo orbata ſunt: qui ſanè eò uſque jam illa perduxerat, ut brevi in publicum fuiſſent proditura. Enimverò, præterquam quòd ita in fatis fuerit, illud etiam acceſſit incommodi, quòd nec Vnicus ex numerosâ prole ſuperſtes Filius, Vir Eximius, ISAACVS VOSSIVS, Amitinus meus, quia Arctois hinc procul in plagis degeret, neque ego, aliquantò pòſt demum ex Avita Patria in meam redux, adfuerimus, quo tempore diem ſuum obiit Vir immortalitate digniſſimus, niſi hac morte ad immortalitatem transeundum eſſet. Itaque hinc factum, ut diutius ſubſtiterint præla; quæ tutius etiam id exiſtimabant, ne nimium

mium feſtinâſſe dici poſſent. Poſtmodum, ubi vidi, nihil deſiderari aliud præter curam, ut bellè procederent operæ typographicæ; ac cognovi non diſplicere Clariſſimo Amitino meo, ut, quicquid id eſſet, in me ſuſciperem, totus in eo fui, ut prodirent quamprimùm, quæ adeò avidè ab orbe literato exſpectari non poteram eſſe neſcius. Certus verò ſum, hæc hilari fronte Vos accepturos, quia VOSSIANA ſunt: quæ, quia VOSSIVM benevolentiâ ſummâ, ac amore, proſecuti eſtis, non amari à Vobis non queant. Quid quòd eò etiam placebunt magis, quòd, quæ Vobis dicamus, NOBILISSIMI VIRI, ſint veſtra? non tam iccircò, quia Vrbe in Veſtra nata ſint, ac primam illic quoque intueantur lucem; quàm quia ipſi horum fœtuum Parenti Vobis eos conſecrare fuerit animus. Cui ſanè ejus voluntati eò etiam lubentius morem gerimus, quòd ſuprema, ſanctáque ſit; ac qualem omnino expediat habere exitum, ut verbis Iureconſulti hic utar. Quin potius præſtamus hic Vobis, quæ rectâ, ut loquuntur, viâ ad Vos jam tranſiiſſe dici poterant? Multùm verò etiam nobis gratulabimur, ſi ſtudium noſtrum, ac qualemcumque hanc curam probari Vobis animadverterimus; atque addetis animum, NOBILISSIMI VIRI, ut alacriores eamus ad alia, quæ ſuperſunt ſummi hujus Viri, cùm edita, at quæ manu ſuâ pluribus in locis eum auxit in modum, ut nova penè videan-

videantur; tum inedita, quæ ſanè longo intervallo editorum ſuperant numerum: ex quibus quid magis ab Eruditis deſideratur, quàm vaſtum illud, atque integri Vicennii, opus Originum; quàm aliquot reliqui de Idololatria Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana, tomi; aliquot itidem operis de Vitiis Sermonis Latini; multáque adeò Theologica, Philoſophica, Philologica, ſub quibus Chronologica comprehendo, quæ ſingula hic non recenſebo, ne complures paginas implere opus habeam. Horum autem, quæ jam edimus, NOBILISSIMI VIRI, operum primum naturam tradit quatuor artium popularium, Grammatiſtices, Gymnaſtices, Muſices, & Graphices; quas *populares* vocat Vir ſummus, quòd exerceri iis ſoleant honeſtiorum è populo liberi. Prioris autem qui neſcit, aut non agnoſcit, uſum, næ ille ignorat, quomodo ad divinitatem accedatur proximè. Nempe illius beneficio per omne vivimus ævum, nec iis, qui ante nos vixere, loquimur tantùm, ſed & iis, qui multis poſt nos vivent ſæculis, ut tum, cùm fuimus, etiamnum eſſe dicamur. Alteram negligat, cui ſua non eſt curæ ſanitas; neque enim hæc πρὸς ὑγίειαν conſervandam modò, ſed & acquirendam plurimum confert: quod de Muſice etiam tradit Galenus; cujus utriuſque amorem homini quoque ingenitum eſſe idem exiſtimat. At tantò hæc illâ dignior inſuper, ac præſtantior videri poſſit, quantum animus,

mus,cujus utimur imperio,corpori antiſtat:quippe quæ honeſtâ non minùs animum, quàm aures, voluptate afficiat; imò ſæpe præſtet, ut hic vitæ mortalium imperator ſecum conſonet. De Pictura verò nimis iniquè judicant, qui ex artibus liberalibus eam ejiciunt. Imo verò nonne hæc quibuſdam gentibus loco ſcripturæ fuit? nonne ejus quoque ope, ac intuitu, addiſcit longa poſteritas, quod multis Hiſtoricorum ſæpe continetur paginis? Vt mittam nunc elegantiorum artificum tabulas,*ubi*,ut ait ſedulus ille naturæ indagator,*intelligitur plus ſemper,quàm pingitur;& ,cùm ars ſumma ſit,ingenium tamen ſupra artem eſt.* Et præterea Q. Maximus, P. Scipio,alii, ſi quando majorum intuerentur imagines, ſibi vehementiſſimè animum ad virtutes accendi dixere; non quòd cera illa, aut figura tantam in ſeſe haberet vim; ſed quòd memoriâ rerum geſtarum ea flamma egregiis Viris in pectore creſcat, nec ſedetur prius,quàm virtus eorum famam, atque gloriam adæquârit: ut huc traham,quæ narrat in operis principio Iugurthini belli ſcriptor. Sed, dum hic de Pictoribus mihi ſermo eſt, occurrit monitum Pictorum venuſtiſſimi, de tabula tollendam eſſe manum; ne, ut nocet ſæpe nimia eorum diligentia, mea quoque, nimis prolixa, ingrata ſit præfatio.

Voto itaque finiam,

VIRI NOBILISSIMI, & AMPLISSIMI:

Vt quàm diutissimè vos servet incolumes supremus ille rerum Arbiter; curasque, quas publico omnium, Vestroque, dicatis bono, secundet, quò floreat magis magisque Vestra, quæ florentissima, ac nulli jam in toto ferè terrarum orbe secunda est, Respublica. Dabam Amstelodami postrid. Non. Quinctil. St. Gregor. cIↃIↃcL.

Nobilissimorum, & Amplissimorum
Nominum Vestrorum

devotissimus cultor

FRANCISCVS IVNIVS F. N.

FRAN-

FRANCISCVS IVNIVS F. N.

LECTORI BENEVOLO.

Hactenus voce vivâ, juxta & scriptis te docuit Vir Incomparabilis GERARDVS IOANNES VOSSIVS; *nunc Te docebit mutus tantùm, qui non nisi meliore sui parte superstes sit. Hactenus vitâ, & moribus, ostendit, qualem Te esse vellet, nunc sui Tibi reliquit memoriam; ut, talem fuisse cùm scias, talis tu quoque ut sis, desudes. Septuagesimum tertium agebat annum, cùm fatis cederet: at quinquagesimus secundus jam tum erat, quòd ore, ac calamo juvisset Remp. literariam. Si humanam cogitamus sortem, vitam ille longam vixit, atque eò longam magis, quò meliùs totam collocavit; & tamen cui non reliquit sui desiderium, eò quòd, cum omnibus prodesse posset, is esset, qui omnibus omni studio etiam prodesse vellet, atque ita quidem,* * ut non valetudini curandæ, vel rei struendæ, studiosè daret operam, sed cum prioris haud levi periculo, & certo alterius dispendio, impensiùs semper publicis studeret commodis: *planè ad exemplum prisci Catonis, qui multo surgebat mane, atque imo ipsâ etiam nocte, quò vacaret studiis, ac meditaretur quid Reip. foret utile, posthabitâ etiam rei familiaris ratione: Quinimo cùm sciret illud*

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουλήφορον ἄνδρα,

insomnes traducebat noctes & vir, & senex, quâ ætate sibi jam parcere potuisset; omne id temporis perdi ratus, quod publico bono non impendisset. Quid quòd ne inter ipsas quidem epulas sibi temperaret, quominus vel lectitaret libros, vel cogitationibus inhæreret, adeò ut ipse viderim aliquoties dexteram ejus necessariis usibus ab uxore aptari, ut inediæ succurreret; Et quo igitur jure malignitatem naturæ incusant, quasi sortem nostram iniquiorem fecerit alterâ mutorum animantium, quibus aliquot edurare indulserit secula, cùm nobis tantò citerior stet terminus, qui, dum prodigi ætatis suæ sunt, atque eâ uti nesciunt, brevem vitam faciunt, cum aliis, qui semetipsos magis curant, tempora deesse videant. Omne penè, quod hîc in terris egit tempus, ita

* *Ita author ipse de se in præfat. præmissâ lib.* III. de Theolog. Gentil.

egit vir ſummus, ut unius cujuſque momenti fere rationem reddere vellet, nec poſſet minus. Loquuntur id, & loquentur, tot ejus labores, quos numquam ſuo precio æſtimare queat juſta poſteritas. In iis dubius ſis, quid potiſſimum mirari conveniat, candide Lector; omnigenam ne magis, ac ſolidam eruditionem; an verò piam magis, ac modeſtam. Pulcra fuit illa Ægyptiorum conſuetudo, quâ non licebat aliquod præclarum inventum ſacrarum ædium columnis inſcribere, niſi priùs ab aliis ejus artis maximè gnaris id probaretur. Legat hos, ac ſanè judicet eruditus orbis, non vidit, aut videbit unquam, quod magis Æternitatis Ædi inſcribi mereatur. Adducam huc Illuſtris Viri, D. HUGONIS GROTII, *Sereniſſimæ Gotthorum Reginæ ad Chriſtianiſſimum Regem, dum viveret, Legati, de unico illo, at inexhauſtæ eruditionis, opere de Theologia Gentili judicium:* Proximis, *inquit*, diebus aliquid nactus ocii legi, eâ, quâ omnia tua ſoleo, aviditate ac animi affectu, tua de Idololatria: in quo contrà feciſti, quàm nunc fieri ſolet; plerique enim titulos ſuos opere non implent: tu aliter nos decipis, plus dando, quàm eras pollicitus. Nam præter omnium gentium hiſtoriam, naturæ nobis pandis myſteria, & in tantâ rerum congerie ſervas, quod difficillimum eſt, ordinem. Præterea quoties veterum aut ſcriptura, aut ſenſus, in dubium venit, oſtendis, quàm exacta ſit judicii tui trutina. Tum verò pietatis, ac probitatis ſemina ita ubiq; inſpergis, ut non alium nôrim librum efficaciorem corrigendis ſeculi moribus: *ac paulo poſt:* Libros & ego poſſum mittere, ſed non tales; Tu & me, & alios, docere plurima nôſti, ego Tibi tantùm oſtendere, quæ nôſti. *Ecce & aliud Illuſtris Viri, ac τῦ πάνυ* CLAVDII SALMASII, *de Arte ejus Grammatica ita loquentis:* Quantas tibi agam gratias, neſcio; quantas debeam, ſcio; quem non uno nomine obligatum tenes memoriâ tam recenti, ut de prioribus ſileam beneficiis, quæ plurima ſunt. Tuum de Grammatica arte accepi exactiſſimum in hoc genere opus, & cui nullum priorum, vel priſci ævi, vel noſtri, poſſit comparari. Non pueris tantùm hæc ſcripta, ſed Viris, qui hinc haurient, unde doctiores evadant, quæque aliunde doceri non poſſent. *Plurima Incomparabilis hujus paris, atque aliorum, de ſummi* VOSSII *ſcriptis elogia hic ne exſpecta, quia tum ea exhibere viſum*

eſt

eſt ſatius, cùm vitam ejus ac ſeriem operum, editorum, atque inedito-rum, ſimul dabimus. Pace tamen Tua, mi Lector, hic addam Epigramma Ingenioſiſſimi Poëtæ Batavi, IVSTI VONDELII *in* VOSSII *effigiem, quàm in* Ἑμαχαείῳ *muſæo ante octennium delineavit* Sandrardus; *quod nos è Belgico ita aliquando vertimus:*

Sex denos nihil eſt numeret ſi VOSSIVS annos,
Candidior niveis frons erit illa comis;
Hâc habitat cuncti ſub fronte ſcientia ſecli,
Condita quæque libris condita habet cerebro.
Quid chartis hominem cingis, *Sandrarde*, libriſque,
Charta, liber, quicquam ſi capit, ille capit.

Vt autem erat ille βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ πανσόφων μυσεῖον, *atque omnium artium, & doctrinarum, promuſcondus, ita liberis non minùs, quàm libris ornavit ſeculum, ut dubium effecerit, ſcriberetne accuratiùs, an gigneret feliciùs, quemadmodum alicubi loquitur Illuſtris* GROTIVS. *Atque ii quidem patri ſimillimi ea etiam edidere ſcripta, quæ non niſi cum pereunte mundo perire poſſint. Cum verò numero novem eſſent filii, filiæque, omneſque pariter linguarum peritiâ, ac quovis ſtudiorum genere inter ſe certarent, meritò ipſius ædes, quod de Pythagoricis dicebatur, Apollinis, novemque Muſarum, vocâſſes habitaculum. At enim horret animus, dum liberos cogito. Vix viderat illos ad juſtam vitæ, & gloriæ, maturitatem excreviſſe Parens, cùm ecce turbato mortalitatis ordine contra commune Parentium votum videt alterum alterius quaſi premere veſtigia, dum ad vocantis Dei nutum ſe ſiſtunt pene omnes. Quis neget omnem humanitatis ſenſum exuiſſe Tiberium, qui felicem vocabat Priamum, quòd ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet? Quis ſortis ſuæ, ſuorumque memor, Camillum laudet, qui amiſſo filio dolori ſuccubuit; adeò quidem, ut non niſi inter ipſos mulierum cœtus muliebrem in modum caſum filii dolens inveniretur? Summus* VOSSIVS, *quanquam eos amiſiſſet filios, qui paternis paſſibus contenderent, quouſque gloria eniti poteſt, quales etiam pro ſuo in litteras amore non filios non lugere non poſſet, quovis tamen dolore ſe oſtendit potentiorem, cui ſuccumbere triſtiſſimis cladibus ducebat triſtius. Enimvero non Periclem, non Xenophontem, non Anaxagoram Clazomenium, conſtantis in adverſis animi exempla, jactet antiqui-*

tiquitas, quos nempe erigere poterat pulcra filiorum in bello pro patria virtus; VOSSIVS *lectissimæ, atque eruditæ filiæ* CORNELIÆ *prope inclytam Leidam aquis hyberno frigore concretis fidem frangentibus miserrime submersæ iturus exsequias, cùm corpus humandum ostendi sibi peteret, atque ægrè ab amicis, quòd crudum vulnus sic refricari crederent, id obtineret, ubi vidisset, dictavit ipse adstantibus solatia, monuitque divinæ acquiescendum esse voluntati, ac nihil fieri ἄλογον πρὸς τῷ λόγῳ τῶν ἡμετέρων, κἂν ἡμῖν ἄτοπα φαίνεται. Desinerem hic, mi Lector, nisi apprimè huc spectaret, quod mihi ad exteras terras discessuro monitum pro viatico se dare ajebat*; Tria sunt longè pulcherrima: Vnum, ut veritatem, tamquam optimum animi pabulum, magis etiam amemus, quàm nos ipsos. Alterum est, ut benefici simus erga alios, quando non aliò propiùs ad Deum acceditur. Tertium, ut, quia vitam hanc sine multis adversis decurrere non licet, fortiter ea feramus, gnari illa bono nostro immitti à Deo: imperitorum verò calumnias pro pulicis morsu habeamus, quando turpe est, sapientem ex insipientum sermone pendere: nec quisquam sapiens, nisi patiens; imo sæpe etiam est, ut ex inimicorum dictis magis sapere discamus. *Ita vixit hic literati orbis Imperator, neque aliter recessit à nobis, quanquam non recesserit totus: Reliquit enim liberos suos, Eximium nempe Virum* ISAACVM VOSSIVM, *insigne sui ævi decus, ac ex Clarissimo* MATTHÆO *nepotem sibi cognominem,* GERARDVM, *in quibus eum aliquando agnoscemus, cernemus, tenebimus, ut immutem paullo Ambrosii illa in funere Theodosii. Pauca hæc de Incomparabili* VOSSIO *dicere visum fuit, qui multa ipso digna, nedum omnia, dicere non possem ῥήτωρ ἄφωνος. Facienda hæc justa erant Amitæ marito, facienda erant Præceptori optimè de me merito, cui etiam plus, quàm Parenti, deberi ajebat magnus Macedo. Nihil affectui hîc à me datum; at verò, ut nec huic paria invenissem verba, ita nec ille, quanquam aliàs in laudes plerumque ingeniosior, si verba dictâsset, vel minimam ejus laudum adæquâsset partem. Vale, mi Lector, ac fruere hisce* VOSSII *summi, quæ Tui, ac publici, juris jam facimus, operibus; & propediem alia exspecta, quibus præla fervent. Amstelodami* VI *Id. Quinctil. St. Gregor.* CIↃ IↃ C L.

GERAR-

GERARDI IOANNIS VOSSII DE NATVRA GRAMMATISTICÆ, GYMNASTICÆ, MVSICÆ, & PICTORIÆ, LIBER.

CAPVT I.

DE QVADRIPARTITA ARTIVM, ac scientiarum omnium distributione.

1. §. *ARtes, ac scientiæ, divinitus homini concessæ, ad quatuor genera revocantur: quædam sunt vulgares; ut sellulariæ, & his similes: aliæ liberales magis, sed populi communes; ut Grammatistice, Gymnastice, & quædam aliæ: aliquæ proximè ad philosophiam præparant; ut ἐγκύκλιοι, sive quas disciplinarum orbem dicimus: aliæ sapere hominem docent; ut quæ philosophiæ nomine continentur.*

CVm artibus, ac scientiis ita fere comparatum videtur, uti olim cum civibus Romanis. Quorum quatuor genera observo. Alii enim in classe erant nulla; ut proletarii, sive capitecensi: alii in aliqua, sed non principe; ut plebeiorum illi, qui *assidui* dicerentur: alii in classe prima; qui duplices, minoris dignationis, equites; majoris, Senatores. Ex quibus Senator esse non poterat, nisi qui octingenta haberet. Hæc nostris temporibus fuerint viginti millia scutatorum sive ducatonum, vel Philippeorum, sive sexaginta Karoleorum millia. Eques minimum possidebat quadringenta; hoc est decem millia scutatorum, sive Karoleorum triginta millia. Nempe denario habito pro decuma parte scutati, sive trium florenorum. Infra hunc censum qui Romæ foret; haberet tamen quod in censum deferret; pro opum magnitudine in unam ex quatuor proximis classibus referebatur. Etsi igitur plebeius foret, assiduus tamen erat. Sic verò dictus, quia asses duit, hoc est, det. Nam antiqui

tiqui ex δύω *duo* fecere, unde *perduint*, atque alia apud Comicos. Minimus cenſus fuit quinctæ claſſis, qui erat mille ducentorum, & quingentorum æris: hoc eſt, Karoleorum trecentorum, & ſeptuaginta quinque. Qui tantum æris non haberet, extra claſſem erat: ac quia ære non poterat, ſolo capite cenſebatur, ac licet cenſu non valeret, prole tamen ſufficiendâ Rempub. juvabat. A priori is *capitecenſi*; ab altero, *proletarii* nomen accepit.

Cum proletariis, ſive capitecenſis (fruſtra enim hi apud Agellium diſtinguuntur) conferre mihi videor poſſe artes eas, quæ à cerdonibus, & fece populi exercerentur: ut ſutoriam, ſartoriam, & ſimiles: quas iccirco *vulgares* dicemus.

Cùm plebeiis aſſiduis contulero artes, quæ liberales habitæ; interim forent extra diſciplinarum orbem; ut legendi, ſcribendique ars; adhæc illa, diſco, curſu, vel cæſtibus decertandi; item canendi peritia; atque, ex multorum judicio, etiam ars pingendi. Has artes dicemus *populares*. quia dignior *populi* vox, quam *plebis*; uti *plebis* dignior, quàm *vulgi*. Populus enim, præter proletarios, etiam aſſiduos, ipſosque equites, quandoque & ſenatores, comprehendit. Sed hic attendimus honeſtiorem plebis partem; nempe florem ejus, non fecem: prout in vino diſtinguere ſolemus.

Splendido equitum ordini reſpondere videtur ἐγκυκλιοπαιδεία, ſive orbis diſciplinarum. Vulgò vocant ſeptem artes liberales. Dixeris, etiam artes, quas proximè nominavimus, in liberalium eſſe numerum relatas. Memini: ſed ſui ſunt gradus artibus liberalibus. Quis autem dubitet, quin Grammatiſtice, quam legendi ſcribendique artem dicimus, minoris ſit dignitatis, quam Grammatice, ſive purè loquendi ars? Quid etiam manifeſtius, quàm Muſicen, quatenus non aliud eâ intelligitur, quàm cantandi peritia, quam & teneræ ætati concedimus, honore eſſe longè inferiorem Muſicâ ſcientiâ, prout à Mathematicis traditur; quam & Muſicam philoſophiam dixeris, ſi cum Peripateticis Matheſin, non περιπαιδείας, ſed παιδείας, ſive ipſius Philoſophiæ partem facere voles? Nec ſanè πένταθλον, ſive quinquertionem eſſe, tam liberale eſt, quàm orbem diſciplinarum ſeptem abſolviſſe. Quare ſi priores dixeris artes liberales, has *liberaliores* vocare liceat.

Ampliſſimo Senatus ordini reſpondet philoſophia: ad quam etiam revocatur Eloquentia. Adhæc Iuriſprudentia, Medicina; imò & Theologia, quatenus eſt ſacra philoſophia, in eo interim ab humana differens philoſophia, quòd non ex cauſſis naturalibus, ſed principiis ſupernaturalibus, proficiſcatur. Haſce diſciplinas non *liberales* modò, vel *liberalio-*

res,

res, ſed *liberaliſſimas*, dicere poſſumus. Verùm, quia in hoc negotio inſolens ſit talis appellatio, potiùs *principes ſcientias* dicamus, vel, ſi malis, *liberas*; quia non modò liberis dignæ, ſed animum etiam liberent vitiis. Sapere enim docent: quod verè eſt liberum eſſe, & ab tyrannide affectuum immunem, ſoli numini, & animæ ſuæ, ac publico bono mancipatum: qualis mancipatus ipſiſſima eſt hominis libertas.

2. §. *Agere nobis animus eſt de natura ac conſtitutione artium, & ſcientiarum omnium, quas diximus: niſi quòd decretum breviſſimè defungi iis artibus, quæ Græcis vocantur* Φαύλαι, ἀνελεύθεροι, βάναυσοι, ἀγοραῖοι, viles, illiberales, ſordidæ, circumforaneæ. *Cujuſmodi ſunt illæ, quæ nullum, vel exiguum animi ſtudium requirunt, ac ſolùm occupantur in quæſtu faciendo, & pecuniâ congerendâ: undè &* mercenariæ *dicuntur, ſervis omnino digniores.*

Hujuſmòdi ſunt, quas tractant ſellularii artifices; prout appellat Appulejus lib. 11. Florid. ubi de Pythagora ſermo, qui priùs δακτυλιογλύφος, ſive gemmarum ſculptor, fuit.

3. §. *Nec tamen ἀφαύλως ſunt vîles.*

Quia, ut initio Nicomachiorum Ariſtoteles ait, πᾶσα τέχνη ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ: *omnis ars boni aliquid appetere videtur.*

4. §. *Neque obſcurum arbitror, cujusmodi bonum artes mercenariæ appetant. ſunt enim Politices famulæ, ad hoc comparatæ, ut ſocietas civilis nullum deſideret, vel præſidium, vel ornamentum, ad bene beatéque vivendum. vile autem non eſt, quod poſſidentem vel meliorem, vel utiliorem ſibi, aut Reipub. reddat.*

Sanè non abhorruêre ab opificio Apoſtoli: ut B. Paulus; de quo Actor. xx. & 1 Cor. IV. 12. unde de eodem ſic B. Auguſtinus de opere monachorum cap. XLIII: *Innocenter, & honeſtè, quæ apta ſunt humanis uſibus, operabatur: ſicut ſe habent opera fabrorum, ſtructorum, ſutorum, ruſticorum, & his ſimilia. Neque enim honeſtas ipſa reprehendit, quod reprehendit ſuperbia eorum, qui vocari honeſti amant, ſed eſſe non amant.* Valde hæc firmantur eò, quòd artes hujuſmodi ſanctificavit ipſe ſoſpitator Chriſtus: quippe

quippe qui cum Ioſepho fabrilem artem exercuerit; ut Iuſtinus Martyr, Baſilius M. & veterum alii, cenſent. Et Deus ad nuditatem velandam primis parentibus fecit δερματίνας, ſive pelliceas tunicas; ut eſt Gen. III. Quod propriè capiendum; non item de carne, aut pelle humanâ; quaſi ſine pelle primus homo conditus fuerit. Quam Gnoſticorum ſententiam fuiſſe, docet Tertullianus libro de Reſurrectione carnis. Ac Ioanni Hieroſolymitano eandem placuiſſe, auctor eſt B. Hieronymus.

5. §. *Quare, ut puto, meliùs nobiſcum* vulgares *dixeris, quàm* illiberales, *aut* viles.

Vulgares quidem Poſidonius vocat, & ex eo Seneca epiſt. LXXXVIII. Verba ejus adduco libri proximi, qui de Philologia erit, cap. II.

6. §. *Sed etſi vulgares illæ non ἀπλῶς, comparatè tamen* illiberales, *ac* viles, *dici merentur. Nam fere ita fit, ut qui ſemper in tabernis conſident, corpore fiant ignavo, minuſq; idoneo ad militiam: etiam, dum vilibus rebus diſtinentur, animum plerumque quaſi abjiciunt, & ineptum reddunt ad capeſſendam Remp.*

Hinc Ariſtoteles ibidem, βάναυσον ἔργον εἶναι δεῖ τοῦτο νομίζειν, καὶ τέχνην ταύτην, καὶ μάθησιν, ὅσαι πρὸς τὰς χρήσεις, καὶ τὰς πράξεις, τὰς τῆς ἀρετῆς, ἄχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων, ἢ τὴν ψυχὴν, ἢ τὴν διάνοιαν. *ſordidum eſſe opus hoc oportet exiſtimare, & artem hanc, & doctrinam, quæcunque ad uſus, & actiones virtutis, efficiunt inutile corpus liberorum hominum, aut animum, aut mentem.* Præterea, cur ſellulariæ artes, imò & aliæ, quibus victus paratur, ingenuo homine indignæ exiſtimentur; ratio eſt illa, quòd, quò quæſtum faciant, ab aliis pendeant, quibus adulari, ſeque ſubmittere cogantur: cùm contrà homo ingenuus debeat animo eſſe libero, non verò animi candorem polluere ac maculare, ut aliis placeat. Sed ſcitum eſt, quod Ariſtoteles mox ſubjicit, poſt verba antea adlata, etiam philoſophiam, ac ſcientias liberales, reddi ſordidas, & illiberales, ſi quis in iis modum non ſervet, ſed προσιόντι λίαν πρὸς τὸ ἐντελές: hoc eſt, *aſſiduus in iis ſit, ut perfectè aſſequatur.* Quæ res profectò impedit multos actus civiles. Multóque illiberalius eſt ſolùm, aut præcipuè tractare liberales ſcientias quæſtûs, vel ambitionis cauſſâ. Quâ ratione eædem etiam ex liberalibus fiunt illiberales. At longè ſecus eſt, ſi ſolùm, aut potiſſimùm diſcamus virtutis cauſſâ, ac ut amicis proſimus in publico; quemadmodum ibidem rectè monuit Stagirita noſter.

CAP. II.

CAP. II.

DE GRAMMATISTICE.

1. §. *A Vulgaribus artibus, quibus humillimi de plebe, ac infima multitudo, ſeſe occupat, venio ad illas, quibus exercentur liberi honeſtiorum è populo: unde hujuſmodi artes vocabamus* populares. *Quales apud Græcos fuere quatuor hæc partim pueritiæ, partim primæ adoleſcentiæ ſtudia; Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice, ac, quorundam judicio, etiam Graphice, ſive Pictoria.*

Ariſtoteles lib. VIII. Polit. cap. III: Εἰ δὲ τέτταρα χρεὼν, ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα, καὶ γυμναστικὴν, καὶ μουσικὴν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικὴν. *Sunt autem quatuor fere, in quibus erudire pueros conſuêrunt; literæ, gymnaſtice, muſice, &, juxta aliquos, ars pingendi.*

2. §. *Grammatiſtice eſt legendi, ſcribendique ſcientia.*

Ita ab Aſclepiade proprio nomine dicta eſt, quam Ariſtoteles ſuperiùs γράμματα, ſive *literas*, appellabat. Plato eam γραμματικὴν vocat: uti & Ariſtoteles lib. VI Topic. ubi definitur ſcientia legendi, & ſcribendi. Ac ſimiliter appellat Sextus Empiricus lib. I adverſus Mathemat. Talis nimirum ſcientia initiò *Grammatice* dicebatur, quia tota occupetur in literis: quomodo & Γραμματικὴ nomen fuit nobilis tragœdiæ, quam, argumento ex literis ducto, ſcripſerat Callias Athenienſis; de quo multa Athenæus in decimo; ac quædam etiam Cæſar Scaliger lib. I de re poëtica cap. VIII.

Grammatiſticen quoque nuncupant *literas elementarias*; ut Iulius Capitolinus in Pertinace: *Puer literis elementariis, & calculo imbutus.* Vbi intelligit *prima elementa*: de quibus Horatius epiſt. ad Piſones:

——— *Vt pueris olim dant cruſtula blandi*
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Ab his diverſæ prorſus ſunt *literæ*, unde dicuntur *literati*; non *literatores*, ſive γραμματισταί. Sed Grammaticen conſiderabimus libro de Philologia. Nunc de Grammatiſtice progrediamur.

3. §. *Etsi hæc ars existimetur vilis; usus tamen ejus tantus est, ut vix ullis laudibus satis possit prædicari. Præcipua tamen ejus utilitas in hoc consistit, quòd sic occurritur hominum oblivioni, cùm nemo omnium, quæ videt, vel audit, semper valeat meminisse. Nec negotia, vel commercia, absque ea possunt consistere. Maximus quoque usus est in fœderibus, & pactis, ad homines in officio continendos. Magnum præterea est, quòd scripturâ etiam absentibus mentem nostram aperimus. Præterea hac arte prodimus posteris, quæ multò ante ætatem eorum contigerunt, ne, puerorum similes, sui solùm temporis res sciant, ac divinam nesciant providentiam in mundo hoc gubernando. Orbis quoque disciplinarum, ac philosophia universa, quatenus naturæ lumine cognita est, ad incana secula propagatur. Imò scriptione etiam mortui vivunt, ac loquuntur, benéque de orbe merentur: ad hæc ipsi etiam scriptores famam consequuntur immortalem: qua, quia senio non consumitur, propiùs ad Deum acceditur. Denique optimum ac sapientissimum Numen, pro infinito erga nos amore suo, eò Verbum suum voluit scriptis consignari, quò ab oblivione hominum vindicaretur, nec ægros mortales lateret via, qua, velut scalis quibusdam, ad arces scandimus cæleſtes.*

Pleraque eorum, quæ ad seculum hoc pertinent, complexus est Philemon Comicus apud Ioa. Stobæum in Florilegio:

Οὐχὶ μόνον ὅτῳ ἔυρε πῶς λαλήσομεν
Αὐτοῖς, ἀπέχοντες πολὺν ἀπ' ἀλλήλων χρόνον.
Οὐδ' ὃν τρόπον μηδέ ποτε μηδὲ εἰς πάλιν
Επιλήσεθ' ἡμῶν μηδὲν, ἐμβλέψας δέ που
Ταὐτῷ χρόνῳ τῷ παντὸς εἴσετ', ἀλλά γε
Ψυχῆς ἰατρὸν κατέλιπεν τὰ γράμματα.

In Florilegii Stobæani Excerptis.

Ea sic totidem senariis reddidit illustrissimus Suecici regni, dum viveret, ad regem Christianissimum Legatus, Hugo Grotius:

Nec ille tantùm reperit, quo pacto din
Absentes alter colloquamur alteri,
Et qua ratione, quod quis addidicit semel,
Oblivionis è potestate eximat,
Retro gesta repræsentans: verùm adeò insuper
Reliquit animi mediatricis litteras.

Simi-

Similia ex aliis de multiplici adeò Grammatiſticæ, ſive literationis uſu adduximus lib. I de Arte Grammatica cap. III; quæ inde peti, quàm hîc repeti, malo.

Porrò in multiplici adeò utilitate, nihil æquè admirationem meretur, quàm quòd de abſentibus, ac poſteris, utrobique dicebamus. Quid enim ſtupendum magis, quàm quòd cum iis etiam ſermonem ſeramus, qui immenſis regionum, ac marium ſpatiis diſtant? Aut quid permirum æquè, quàm quòd poſt fata loquemur etiam, non dico cum necdum nunc natis, ſed verò plurimis demum ſeculis poſt nos futuris. O divinum Scripturæ beneficium! Tu ſola facis, ut abſentes non abſimus, muti loquamur, mortui vivamus. Cunctos ſeu diſſitos, ſeu defunctos, ſiſtis præſentes: quoſque corporeis oculis nec videmus, nec audimus, eos in ingenii doctrinæque monumentis, & conſpicimus, & ſæpe, quaſi extra nos poſiti, non ſine horrore loquentes audimus. Videlicet ſcriptura, quaſi altera lingua, ſermonis uſum præſtat, ut tum vel maximè manus, ac calami, ſilentibus nobis ſint loquaces. De hoc literario miraculo plerique omnes parùm cogitamus. In cauſſa eſt, quòd ei adſueverimus à pueris; quomodo nec vulgus miranda Solis attendit, quia eum quiſque conſpicit, ſimul ac penè luminis hujus, auræque æthereæ, fruitur uſurâ. At longè aliter affectæ ſunt gentes illæ, quæ legere, ſcribereque, prorſus neſciunt; nec fando de ea audierunt quicquam. Vt terris iis compertum, quæ proavorum demum memoriâ in notitiam noſtram venerunt. Amœnum illud de mancipio Peruano in Braſilia. Miſerat eum dominus ad virum nobilem cum corbe ficuum pleno, ac literis. Mancipium deliciis captum bonam in via partem voravit. Cui miſſus erat, è literis deprehendit, quantum abſumſiſſet. Quare nequitiæ arguit. Hic mendacii arguere literas, ſeque diris devovere, ſi reus furti inveniretur. Denuo à domino mittitur cum ficubus, & literis. Iam metuere literas cœperat, quaſi videre, & viſa proloqui ſcirent. Comeſturus igitur ficus, priùs ſub ſaxo abdidit literas, eique inſedit. Viâ confectâ, reliquum tradidit cum literis. Iterum arguitur. Ille negare factum, quòd ſciret literas in obſcuro non potuiſſe id conſpicere. Et fortaſſis permanſiſſet animus, niſi tergo à domino Ibericis funibus, vel virgis ulmeis, peruſto, in poſterum etiam Plautinam metuiſſet virgidemiam. Narrat rem Ludovicus Richeomus libello Gallico de Valedictione animæ. Aliáque de hoc Indorum ſtupore Ludovicus Vives in dialogis, Lælius Biſciola lib. VI ſubſicivarum cap. XII, Petrus Cieza Tom. II Hiſt. Peruanæ cap. XXXIV, Hermannus Hugo præfat. operis de ſcribendi origine, pluresque, qui de orbe novo ſcripſerunt.

4. §. *Multiplicem adeò fructum Grammatiſticæ ex parte etiam vidit Epicurus. Quare, utcunque ei diſciplinæ haut neceſſariæ viderentur, hanc tamen utilem fatebatur:*

Vt Sextus Empiricus ait contra Mathematicos cap. 11.

5. §. *Et tamen diffiteri non poſſumus, maximum ſæpe eſſe hujus artis abuſum. Nam quicquid penè mali committitur linguâ, idem & ſcriptione.*

Vnde Thamus, qui Thebis Ægyptiis, imperitavit, urbe cujus cuſtos fuit Deus Ammon, noluit literariam artem in regnum induci. Quod de Arithmetica etiam, & Geometria, atque Aſtrologia, judicium ejus erat. Platonem vide in Phædro *, &, ſi juniores præterea opus adire, Cælium Rhodiginum lib. xxxii cap. xv. Etiam Licinius Imperator literas vocabat virus, & publicam peſtem: ut eſt apud Sex. Aurelium Victorem.

Tom. 3. pag. 274. & ſequent. edit. Henr. Steph.

6. §. *Inter damna illa Grammatiſticæ eſt, quòd crebrò non moribus modò noceat; ſed & hæreſes peſtiferas propaget.*

Imò Marcus, & Colarbaſus (qui in Philaſtrii codd. perperam C. Baſſus vocatur) ex Græcorum alphabeto novam fabricarunt hæreſin; de qua Irenæus fusè, & paucis Tertullianus lib. de hæreſibus; ut poſteriores præteream.

7. §. *Verum, ut ait Naſo lib.* 11 *Triſt.* Nil prodeſt quod non lædere poſſit idem. *Quare non, propter abuſum, tollendum eſt præclarum inventum; verùm legibus coerceri debet.*

Alioqui cùm eadem dicantur, & ſcribantur, ſæpiuſque linguâ, quàm ſcriptione peccetur; neceſſe foret illis literarum contemptoribus linguam præcidi, ne quid poſtea dicant, quod indictum oporteret.

8. §. *Præclarum hoc artificium, ſecundùm fabularem hiſtoriam, Parcis debetur.*

Sic Higynus lib. de Fabulis cap. CCLXXVII. Hanc verò opinionem inde cenſeo proveniſſe, quòd Parcæ crederentur ſcribæ Iovis, quæ Fatum cujuſque in tabulis exararent æneis.

9. §. *Sin*

8. §. *Sin veriori inſiſtendum hiſtoriæ; Romani quidem videntur ſuas accepiſſe literas ab Euandro; qui eas ex Arcadia in Latium intulit: Arcades verò accepere à Bœotis; illi à Cadmo Phœnice, Thebanæ in Bœotia arcis conditore: ut Græci Phœniciæ debeant literarum gloriam. Phœniciæ autem, ſive Cananæ literæ, non aliæ, quàm vetuſtiores Hebrææ; hæ verò eædem ac Samaritanæ, uſque ad captivitatem Chaldaicam. Poſtea enim Iudæi illis Chaldæorum uſi ſunt. Hebræi porrò Cananæas, ſive Samaritanas litteras habuere ab Moyſe, vel potiùs eo antiquiore Abrahamo, vel ſecundùm alios, Setho, Adami filio, vel ipſo etiam Adamo. Qui fortaſſe nec alius ab Theuth; unde Ægyptii ſe literas habere prædicabant. Niſi Teuth ipſe eſt Deus, à quo Adamus eas fuerit edoctus.*

Sanè Græcum Θεὸς, unde Latinum *Deus*, idem eſt ac *Theut*. Notiſſimum enim, quàm facilè pluribus in linguis finale S, & T, ſoleant commutari. At literarum ſcientiam eſſe donum divinum, etiam gentes judicarunt. Hinc Plutarchus quoque initio libelli de Iſide & Oſiride: Ερμῆν γραμματικῆς, καὶ μουσικῆς, εἶναι δ' ἐγὼ νομίζουσι. *Mercurium Grammatices, & Muſices, inventorem cenſent.* Ac poſtea ait, Mercurium ſtatui parentem Iſidos. Dixerat verò antea, de inſcriptione templi Minervæ Saitidos loquens, eandem credi *Iſidem*, ac *Minervam*: quæ ſine dubio ſapientia eſt divina; vel humana quidem, ſed divinitus inſpirata. Verùm de inventione literarum apud Latinos, Græcos, & Hebræos, adiſis Lilium Gyraldum, dialogo primo de Hiſtoria Poëtarum *. Item quæ fusè hoc de argumento diſſeruimus lib. I artis Grammaticæ cap. IX, X, XI: quibus diſtinctè egimus de inventoribus literarum variis in gentibus; præcipuè tribus illis, quas dicebamus.

* Pag. 6. & aliquot ſequentibus uſque ad pag. 13.

9. §. *Modus, quo nunc hoc nobile ſcribendi artificium addiſcatur, non unius eſt generis. Vtile imprimis eſt, ut quis non modò bonum ad exemplum fingat literarum ductus; ſed etiam videat ſcribentem. Tantum enim hic juvat conſpectus iſte; quanto in aliis multis viva vox magis afficit. Conducit & pueri manum primitus dirigere, vel initio in tabula pulvere oblitâ ſtylo pingere. Vel aliquid optimè ſcriptum ſubjicere membranæ pellucidæ,*

dæ, in qua ſcribendum. Vel ſi in membrana, ubi alter priùs ſtylo æreo, aut argenteo, literarum figuras leviter impreſſerit, puer ductus impreſſos atramento imitetur. Vel ſi in tabella, in qua literæ inciſæ, puer per ſulcos ſtylum ducat. Quo pacto, quia ob latera ſulcorum manus nequit aberrare, etiam cæci quidam ſcribere didicerunt.

Atque hunc modum poſtremum etiam commendat Fabius; ac rationem addit, lib. 1 cap. 1: *Cum verò jam ductus ſequi cœperit, non inutile erit, eas tabellæ quam optimè inſculpi; ut per illos velut ſulcos ducatur ſtylus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris (continebitur enim utrimque marginibus) neque extra præſcriptum poterit egredi; & celeriùs, ac ſæpius, ſequendo certa veſtigia, firmabit articulos: neque egebit adjutorio manum ſuam manu ſuperimpoſita regentis.*

10. §. *Nec ſatis eſt, ſi puer ſic ſcribere ſciat, ut legi poſſit: ſed danda eſt opera, ut bellè, & celeriter ſcribat.*

Et rem, & cauſſam, ibidem Fabius dicit: *Non eſt alienares, quæ fere ab honeſtis negligi ſolet, cura bene, ac velociter ſcribendi. Nam cum ſit in ſtudiis præcipuum, quóque ſolo verus ille profectus, & altis radicibus nixus, paretur, ſcribere: tardior ſtylus cogitationem moratur; rudis & confuſus intellectu caret: unde ſequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda ſunt, labor.* Bellè autem ſcribere cenſendi, qui obſervant figuram literarum, contextum, ſeriem, ac proportionem. At mæandros, ac redimicula, minutarum mentium oblectamenta, ſapientis eſt nihil morari; quia & ſcribentem onerant, & ſcripturam obſcurant. Solùm igitur culpamus, qui vitioſos fingunt characteres, vel proportionem literarum negligunt, aut verſus habent obliquos, vel vacillantes. Quales non leguntur cum voluptate; imò ſæpe negliguntur; quia nemo velit ſibi legenti crucem figi. Quin ipſos ſcribentes elegantior manus delectat; eóque lubentiùs, & faciliùs ſcribunt: ac paullatim non modò ſcitè, ſed velociter etiam pingunt. Sed ſi quis perpetuò celeriter ſcribere volet; periculum eſt, ne ſcitè ſcribendi, ſi quam habet, amittat facultatem.

11. §. *Porrò non par facilitas eſt quavis in lingua, ut ſcribere diſcamus. His Belgicæ terris, quibus varia adeò obtinet ſcriptura, facillima ratio videtur, ſi ordiatur puer à manu, quam* Italicam, *vel* curſoriam *vulgò vocant. Nam paucas ſi nôrit literarum figuras, nullo negotio ſciet cæteras.*

Vt ſi primò diſcat ſcribere ablativum *ſiclo*, vel *locis*. Eædem enim utrobique

trobique literæ. Primò, lineolam rectam minorem efformando, sciet *i*: longiusculam, nôrit *l*. mox obliquam effingat, tum semicircularem *c*, tum circularem *o*. hinc addat mixtam ex recta, & obliqua, *f*. Iam vocem *ficlo* habemus. Videamus de literarum aliarum figuris. Ex recta minori, nempe *i*, sciet *u*, *n*, *m*. Nec ab *i* multum abeunt *r*, & *t*. Ex obliqua *c* nôrit *e*, uti ex eodem *c*, vel *o*, sciet *a*. Ex mixta *ſ*, discet *f*. Iam ex recta, & longiori *l*, & minori, sciet *h*, & pauxillâ immutatione inde cognoscet *k*. Ex recta longiori, & obliqua *c*, vel *o*, efformabit *b*, & *p*; *d*, & *q*: à quo non longè abit *g*. Quomodo omnes habemus literas usitatiores: cunctas videlicet, præter tres Græcas, *x*, *y*, *z*. Scio, qui unius horæ spatio, cùm antea legere, scribereque, prorsus nescirent, hasce literarum figuras sic satis commodè expresserint. Et de Grammatistice satis. Cætera enim, ad literas pertinentia, accuratè prosequimur in primo memorati antea operis de arte Grammatica.

CAP. III.

DE GYMNASTICA.

1. §. *Sequitur Gymnastice: quam inter populares artes secundo loco etiam Aristoteles reponit.*

Verba ejus ex octavo Politicorum superiori capite adduximus.

2. §. *Ea sic dicta est, quòd plurimùm vel nudi toti, vel solùm verenda subligaculis contecti, decertarent.*

De athletis, quin nudarentur, posteaque inungerentur oleo palæstræ, nulli dubium est. Imò in nummis sæpe totos videas nudos: sed Græcos. A Romanis diutiùs fuit consultum verecundiæ. Discoboli non ὁλογυμνοὶ, *toti nudi*; sed seminudi. Iaculatores sæpe vestiti; nec semper tamen; quemadmodum postea dicam. Sicuti & de cursoribus.

3. §. *Gymnastice est ars, quæ in exercitatione corporis versatur.*

Galenus libello ad Thrasybulum: Ἡ τέχνη γυμναστική ἐστιν ἐπιστήμη τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως. *Ars Gymnastica est ea, ex qua exercitationum omnium facultates scimus.* Nempe, ut Aristoteles ait initio IV Polit. ejus est docere, ἄσκησις σώματι ποία τε ποίῳ συμφέρει, καὶ τίς ἀρίστη. *qualis exercitatio cuique corpori conveniat, & quæ optima sit.* Itaque Latinè *exercitatoriam* dixeris.

4. §. *Quanti Gymnasticen fecerint veteres, arguit, quòd & ei numen proprium, Mercurium puta, præfecerint.*

Hinc Heliodorus lib. x: Τὴν ἐναγώνιον Ἑρμῆ τέχνην ἠκριβηκώς. *In concertatoria Mercurii arte exercitatissimus.* Horatii quoque est lib. 1 carm. ad Mercurium:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ
More palæstræ.

5. §. *Nec tamen gymnasiis Mercurius præerat solus: verum & Apollo Enagonius.*

Quemadmodum Athenis gymnasio in Lyceo à Lycurgo Oratore exstructo: sicut est apud Lucianum in Anacharsi, sive de Gymnasiis: ut præteream, quòd Herculi etiam, ac Theseo, statuæ in Gymnasiis fuerunt constitutæ.

6. §. *Artis hujus subjectum est corpus humanum, quatenus aptum est ad sanitatem in sese conservandam.*

Nam Medicina quidem magis in hoc est, ut morbum expellat: Gymnastica autem tota est in eo, ut εὐεξίαν, sive habitum bonum, qui sanitatis est vel pars, vel causla, custodiat, aut præstet.

7. §. *Locus, ubi se exercerent,* gymnasium *dicebatur.*

Nempe quia nudi in eo exercerentur; quemadmodum dictum.

8. §. *Atque hoc quidem propriè erat gymnasium: laxiùs tamen extensa est significatio: quia in eodem & philosophari solent, & lavari.*

Itaque gymnasium aliqui solùm accedebant, ut animum exercerent, audiendo philosophos, rhetores, mathematicos, vel alios. Alii solùm, ut exercerent corpus. Alii tantùm, ut lavarentur. Quidam verò propter hæc omnia. Alexander Severus Imp. domi legebat: ac deinde exercebat corpus, & lavabatur. Lampridius in ejus vita, postquam narrâsset, quorum lectione imprimis caperetur: *Post lectionem*, inquit, *operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus, dabat. Atque inde unctus lavabatur.*

9. §. *Pri-*

9. §. *Primæ gymnaſii partes erant porticus plenæ exhedris ; in quibus philoſophi, aliique, conſidentes diſputarent.*

Vitruvius lib. v, cap. xi, ubi de palæſtrarum ædificatione : *Conſtituantur in tribus porticibus exhedræ ſpatioſæ, habentes ſedes ; in quibus philoſophi, rhetoreſque, ac reliqui, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Hujuſmodi ἐξέδρας, quæ ὑποχορισικῶς dicta ἐξέδρια, etiam Cicero habuit in villa ſua Tuſculana. Sic enim ſcribit ad M. Fabium Gallum lib. vii, epiſt. xxiii : *Exhedria quædam mihi nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculana : ea volebam tabulis exornare.*

10. §. *Alter locus erat* ἐφήβιον, *vel* ἐφηβεῖον, *ubi ephebi, ſive puberes, exercebant corpus.*

Sic ſanè & Mercurialis lib. iii de re Gymnaſtica cap. viii. Ac meritò abit à Guilielmo Choulo ; qui ludum literarium ſignari hoc nomine arbitrabatur. At temere à Mercuriali receſſit doctiſſimus Petrus Faber lib. iii Agoniſticôn cap. xxvii : ubi per *ephebæum* intelligit ganeam, ſive lupanar ; illudque palæſtræ genus, quod κλινοπάλλω dixere. Nec meliora, quæ addit de ἡβητηρίοις, & voce ἡβηδόν. Mercuriali aſſentit quoque in Vitruviano lexico Bernardinus Baldus, Guaſtallæ abbas. Et rectè docet *ephebium*, vel *ephebeum*; non *ephebæum*, ſcribi oportere. Nam ἐφήβαιον, *pubes* : at locus gymnaſii ἐφήβιον, vel ἐφηβεῖον.

11. §. *Tertius locus eſt* κωρύκιον, *vel* κωρυκεῖον, *ubi folle luſorio, ac pilâ luſitarent.*

Sic vocem eam apud Vitruvium interpretantur Barbarus, ac Baldus. Philander, cùm in vulgatis Vitruvii exemplaribus eſſet *corticeum*, emendabat *coricium*, ἀπὸ τῆς κόρης, ut intelligatur locus, ubi κόραι, ſive puellæ exercerentur; quomodo ut ephebis, ſic & puellis, fuerit locus in gymnaſio, ubi ſe exercerent. Sed de eo ſilentium eſt apud veteres. Nihilo melior eſt altera ejuſdem doctiſſimi viri conjectura ; quâ legi poſſe ait κουρεισήριον, *tonſtrina*, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, *tonſura*. Quis enim veterum tonſtrinam gymnaſii partem fecit ?

12. §. *Quarta pars erat elæotheſium; ubi unguenta reponerentur.*

Quod nomen indicat, vocem conflatam ex ἔλαιον, *oleum*, & θέσις, poſi-

positio. Vt nihil opus sit cum Philandro rescribere *elæodensium*, ἀπὸ τῦ δεύειν, hoc est, *rigando.* Virgilius Æn. III:

Exercet patrias oleo labente palæstras.

Aliter dicebatur ἀλειπτήριον, ab ἀλείφειν, *inungere.* Ea unctio duplex: una ante exercitationem, quæ fiebat ceromate, sic dicto, quia cera esset oleo subacta: cui postea pulvis affundebatur. Altera inunctio fiebat oleo magis pretioso: quippe variis odoribus condito. De utraque hac inunctione adi Mercurialem lib. I Gymnastices, cap. VIII.

13. §. *Quincta pars, conisterium; ubi qui inuncti erant, pulvere adspergebantur.*

Vox est à κόνις, hoc est, *pulvis.* Fallitur Perottus, qui intelligebat ἀποδυτήριον, ubi vestes exuerent. *Spoliarium* Latini dixere. Omnino enim signatur locus, ubi luctaturi, postquam inuncti essent, pulvere respergerentur, ne ob lubricitatem olei, parùm validè se mutuò comprehenderent in lucta. Nec eam ad rem quovis usi pulvere, sed fere Ægyptio: ut (verba Plinii sunt lib. XXXV, cap. XIII) *è Nilo arenâ tenuissimâ ad debellanda corpora palæstræ studiis.* Ac Tranquillus in Nerone cap. XLV meminit *Alexandrinæ navis, pulverem luctatorium aulicis advehentis.*

14. §. *Sexta pars ipsius palæstræ fuit locus; ubi luctabantur; sic* ἀπὸ τῆς πάλης *sive lucta dictus. Septima* σφαιριστήριον, *ubi* τῇ σφαίρᾳ *sive pilâ exercerentur. Octava inter porticus, & muros, ubi currebatur. Nonus xystos, & xysta, continebat.*

Xysti Latinis porticus tectæ, ubi athletæ hieme exercerentur. *Xysta*, subdiales ambulationes, ubi athletæ exercerentur æstate.

15. §. *Decimus locus balnea, ubi nunc calidâ, nunc frigidâ, lavabantur.*

Hic & Laconicum, in quo calore sicco sudor eliciebatur. De Gymnasio, & ejus partibus, satis pro instituto.

16. §. *Finis Gymnasticæ est conservare valetudinem, ac bonum corporis habitum comparare.*

Auctor Aristoteles lib. VIII Polit. ubi ait, conferre γυμναστικὴ πρὸς ἀνδρείαν, *ad fortitudinem*: sive πρὸς ὑγίειαν, καὶ ἀλκὴν, *ad sanitatem, & robur.*

robur. Ac eadem mens Galeno in tertio Υγιεινῶν. Nempe ut otio corpus fit segne, ac torpidum; ita exercitatione bonum acquirit habitum. *Salubrium.*

17. §. *Bonus iste habitus corporis in robore, & agilitate, potissimùm consistit. Ex quibus duobus, robur quidem athletis magis conducit: sed agilitatis major est usus in bello.*

Scivit hoc Epaminondas: de quo sic in vita ejus Cornelius Nepos: *Postquam ephebus factus est, & palæstræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium servivit, quàm velocitati. Illam enim ad athletarum usum; hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimùm currendo, & luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere.* Ob hunc agilitatis, ac velocitatis usum in re bellica, Achillis ad laudem prædicat Homerus, quòd fuerit πόδας ὠκὺς, hoc est, *acupedius*, juxta illud Festi, sive Paulli: *Acupedius dicebatur, cui præcipuum erat in currendo acumen pedum.* Sed de usu Gymnasticæ in bello mox pluribus dicemus.

18. §. *Nec solùm prodest valetudini conservandæ, sed etiam acquirendæ.*

Itaque, ut auctor est Ælianus lib. IV Var. Hist. cap. XV, Strato, Corragi filius, valetudini ab hac arte remedium quæsivit; ac tantum profecit, ut uno die apud Olympiam luctâ, & pancratio, pronunciaretur victor.

19. §. *Ægyptii tamen, grammatistice contenti, gymnasticen negligebant.*

Testis Diodorus Siculus lib. I, ubi de iis sic scribit: Παλαίστραν δὲ νόμιμόν ἐστι παρ' αὐτοῖς μανθάνειν. ὑπολαμβάνουσι γὰρ ἐκ μὲν τῶν καθ' ἡμέραν ἐν τῇ παλαίστρᾳ γυμνασίων τὰς νέους οὐχ' ὑγίειαν ἔξειν, ἀλλὰ ῥώμην ὀλιγοχρόνιον, καὶ παντελῶς ἐπικίνδυνον. *Palæstram verò apud eos discere non est moris. Nam è quotidianis palæstræ exercitiis non sanitatem, sed exigui temporis robur, & omnino periculosum, comparari junioribus existimant.*

20. §. *Imò nec Romanis veteribus publica fuere gymnasia, quibus juventus sese exerceret.*

Hinc Vitruvius, qui sub Augusto vixit, lib. V cap. XI: *Nunc mihi videtur*

(*tametsi*

(*tametsi non sint Italicæ consuetudinis*) *palæstrarum ædificationes tradere explicare, & quemadmodum apud Græcos constituantur monstrare.* Itaque Budæus Annot. in Pandect. ad L. Athletas, postquam è Plauti Bacchidibus versus adduxisset, de cursu, lucta, disco, pila, & aliis puerorum exercitiis; subjungit deinde *: *Quod de institutione Græcorum intelligendum. Romani enim id genus exercitamentis non utebantur.* Ac aliquanto pòst *: *Palæstræ, id est, ædificia, exercendis & corporis, & animi viribus, accommodata, Græcorum consuetudinis erant; Romanorum non erant; apud quos ephebia non erant, id est, loca puberibus exercendis constructa.*

* Fol. 95. edit. Rob. Steph.

* Fol. 96.

21. §. *Græcis contrà Gymnastice magno in honore erat; apud quos etiam gymnica certamina in sacris adhibita sunt ludis, ut populus ad ea libentiùs confluueret.*

Quâ de re Plutarchus in V. Sympositacôn. Loquimur verò nunc de ludis Gymnicis: à quibus diversi erant tum Equestres, sive Circenses; tum scenici, sive musici.

22. §. *Finis ludorum erat horum duplex. Vnus fuit religio Deorum. Nam credebant sic honorari Deos; eóque facilius omnia ab iis impetrari.*

Verùm quod in vanorum fieret Deorum honorem, idem in contemtum vertebat veri Numinis. Vnde Cyprianus libro de Spectaculis: *Omnia ista spectaculorum genera damnavit* (Scriptura) *quando idololatriam sustulit, ludorum omnium matrem.*

23. §. *Alter finis erat voluptas, quam inde populus caperet.*

Nempe idem ludorum erat Gymnicorum finis, ac Circensium, nec non scenicorum, sive τῶν τλὼ θεατρικλὼ μυσικλὼ μεταχειριζομένων, ut Aristoteles vocat, Politicorum lib. VIII.

24. §. *Iam ante Trojana tempora certatum disco, luctâ, cursu, & similibus; si credimus Statio Papinio.*

Cujus illud in VI Thebaidos de Tydeo:

Ille quidem & disco bonus, & contendere cursu,
Nec cæstu bellare minor. Sed corde labores
Ante alios erat uncta Pales.

Nisi

Nisi malis, *uncta Pale*: ut non significetur rusticum numen Pales; sed Dea Παλη, sive Lucta, palæstræ præses. Sic censet P. Faber lib. 11 Agonist. cap. v.

25. §. *Quod si Papinii parùm valeat auctoritas: saltem (nisi nec Homero credatur) Iliacis temporibus obtinebant.*

Liquet hoc ex Iliados B, & Ψ, Odyss. Θ, ac Ψ: ubi Græcos milites in castris se his exercuisse memorat.

26. §. *Sed quæ Homerus refert, quædam tantummodo Gymnasticæ semina fuere. Sanè non multò ante Platonis tempora pueris, ac juvenibus, gymnasia sunt constituta.*

Auctor est Galenus ad Thrasybulum: imò & Plato id satis docet in Protagora, & alibi. Mox autem ab anno septimo pueros in Grammaticis, ac Gymnasticis, institui solere, ait Xenocrates, Platonis discipulus, eleganti libello de Morte, quem transtulit Ficinus. Multumque ad laudem pertinuisse juventutis, si eo studio excelleret, verba hæc docent Philolachis adolescentis apud Plautum Mostell. act. 1, sc. 11:

Quo neque industrior de juventute erat,
Arte gymnasticâ, disco, hastis, pilâ,
Cursu, armis, equo.

Item Bacchidibus act. 111, sc. 111:

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus:
Ante Solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haut mediocris pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum,
Et discipulus, & magister, perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hastâ, disco, pugillatu, pilâ,
Saliendo, sese exercebant magis, quam scorto, aut saviis.

Similis est apud Terentium locus Eunucho act. 111, sc. 11.

27. §. *Ac sic quidem apud Græcos fuit. Etsi verò Romanis ante Augustum, & aliquanto post, Gymnasia publica non erant; minimè tamen exercitationes negligebant. Quippe juventuti Romanæ in campo Martio mos erat exerceri currûum, vel equorum decertatione; item pilâ, ac palæstrâ. In Tiberi etiam natare solent.*

Strabo lib. v *: Τούτων δὲ τὰ πλεῖστα ὁ Μάρτιος ἔχει κάμπος, πρὸς τῇ φύσει

* pag. 236. edit. Paris. an. 1620.

φύσει πεθσλαβὼν καὶ τὸν ἐκ τῆς πεθνοίας κόσμον· ἢ γὲ τὸ μέγεθ@ τῦ πεδίυ θαυμάσὸν ἅμα, ἢ τὸὺς ἱππασίαν, ἀκώλυτον παρέχων τῷ ποσότῳ πλήθει, τῶν σφαίρᾳ, ἢ κίρκῳ, ἢ παλαίσρᾳ, γυμναζομένων. *Horum pleraque Martius habet campus, cùm natura, tum hominum prudentiâ ornatus. Nam & magnitudo ejus mirabilis eſt, & curruum, equorumque decurſionibus, liberè patet, tantæque multitudini pilâ, ac palæſtrâ, ſe exercentium.* Sed pro κίρκῳ, ut obſervatum Caſaubono, legendum videtur κελίκῳ, ut reſpiciat exercitationis genus, quod κελικηλασίαν Oribaſius appellat. Vel referendum ad diſcum. Romanas etiam exercitationes memorat Horatius lib. I. od. VIII; ubi refert equitationem in campo Martio, natationem in Tiberi, (à quo & campus Martius dictus eſt Tiberinus) palæſtram, ſive luctam inunctorum olivo, diſci jactationem, & emiſſionem jaculi. Nec juvenes ſolùm ſe exercebant; ſed etiam viri. Ex innumeris exemplo fuerit Cæſar Auguſtus. qui quo pacto exercere corpus ſoleat, in vita ejus Tranquillus docet cap. LXXXIII: *Exercitationes campeſtres equorum, & armorum, ſtatim poſt bella civilia omiſit: & ad pilam primò, folliculumque tranſiit: mox nihil aliud quàm vectabatur, & deambulabat, ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret.* Primò hîc memorantur equitatio, & certamen in armis. Hinc partim pila trigonalis, qua ludentes terni triangulum faciebant: partim folliculus, ſive follis pugillatorius, qui non cubito, ut follis ſic ἀπλῶς dictus, ſed pugno, ſive pugillo impellebatur, unde *pugillatorius* Plauto * dicitur: præter quæ pilæ genera erat paganica, & harpaſtum. Exinde ſequuntur vectatio, ſeu vehiculo, ſeu lecticâ, vel ſellâ: & deambulatio, quæ deſinat in curſu cum ſaltu. Addit deinde, ſic ſe exercuiſſe Auguſtum, non ſolùm, ut ſolent in campo Martio, verenda velatum ſubligari, quod inde *campeſtre* dictum: ſed corpore etiam reliquo tectum, lodiculâ, & ſeſtertio; vel potiùs ſegeſtri; ut eruditi corrigunt.

* *Rud. act. 3. ſc. 4.*

28. §. *Serò autem, nec niſi tempore Neronis, Romæ exſtrui cœpere Gymnaſia.*

Neronis Gymnaſium ictu fulminis conflagraſſe, eſt apud Tacitum in XV Annalium. Etiam poſtea exſtructa eſſe alia hujuſmodi exercitiis, argumento eſt P. Victor, qui ſub Valentiniano Imp. vixit. Is enim, in deſcriptione Romæ, meminit ſtadiorum; quæ fuiſſe ludis gymnicis deſtinata, credibile eſt. Pluraque de hoc Petrus Faber in Agoniſticis lib. III, cap. XV.

29. §. *Poſſit*

29. §. *Possit Ægyptiorum, veterumque Romanorum opinio, cum illa Græcorum sententia ex parte conciliari, si discrimen inter ætates, & exercitia gymnastica, statuamus. Conveniunt enim corpori exercitia moderata, non immodica. Pueris item leviores conducunt exercitationes; non athleticæ; quæ & formam corrumpunt, & incrementum corporis impediunt.*

Hoc est, quod Aristoteles suadet, * μέχρι μὲν ἥβης κυφόπερα γυμνάσια πρωτέον, *usque ad pubertatem leviores adhibendæ exercitationes.* Iubet mox, βίαιον τροφὴν, καὶ τὰς πρὸς ἀνάγκην πόνους, ἀποείργειν, *arcere victum violentum, & labores ad necessitatem impositos.* Quæ judicat esse ἐμπόδιον πρὸς τὴν αὔξησιν, *impedimentum, quò minùs corpus crescat.* Vnde & ait, demum triennio post pubertatem locum habere duros illos labores, & adstrictam cibi rationem; quam vocat ἀναγκοφαγίαν: nisi scripserit, ξηροφαγίαν, ut est in libris aliis, & Aquinas etiam legit, quia nempe alimentum siccum valeat ad corpus firmandum.

* *Lib. 8. Polit. cap. 4.*

30. §. *Imò ne firmatiori quidem ætati habitus conducit athleticus, si quis ad civilia munera enutriatur. Neque enim ad conservandam sufficit Rempubl. corporis robur: ac vel maxime tempus est concedendum addiscendis virtutibus civili vitæ necessariis.*

At robore solo primas tenere, sive, ut Aristoteles loquitur, πρωτυγωνιστεῖν, θηριῶδες ἐστι, *ferinum est.* Quomodo lupus valet robore; sed nulli se periculo honestatis causâ exponeret. Mirum autem est, Rufum Perinthium, ut in Sophistarum vitis Philostratus refert, se athletico cibo, ac labori, sponte adstrinxisse, ut ita corpus esset valentius. Neque enim vel civili dignitati, vel disciplinis liberalibus, eo robore est opus.

Lib. 8. Polit. cap. 4.

31. §. *Nimirum Gymnasticæ tres sunt formæ; simplex, bellica, & athletica. Simplici id solùm propositum fuit, ut modico exercitio sanitas conservetur, ac bonus habitus vel defendatur, vel augeatur.*

Liquet hoc ex iis, quæ de fine Gymnasticæ antea diximus.

32. §. *Bellicæque idem finis: nempe ut exercitiis firmentur corporis vires. Sed præterea est alter quoque, ut ad rem militarem magis reddat idoneos.*

Plato in VIII de Legibus *: Ἐὰν δὲ γῆν πάντων πολεμικώτατον ἡ σώματος ὀξύ-

* *Edit. H. Steph. Tom. 2. pag 832. & 833.*

ὀξύτης, πάντως ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ποδῶν, ἡ δὲ ἢ ἀπὸ τῶν χειρῶν. Φυγεῖν μὲν καὶ ἐλεῖν, ἡ τῶν ποδῶν. ἡ δ' ἐν ταῖς συμπλοκαῖς μάχη, ἢ σύστασις, ἰσχύος ἢ ῥώμης δεομένη. *Omnium igitur maximè ad bellum confert corporis celeritas, ſive agilitas, partim quidem pedum, partim manuum: ad fugiendum quidem, & inſequendum, pedum: ſed pugna, & conflictus, in quibus conſeruntur manus, viribus & robore indigent.*

33. §. *Ideo Cretenſes, cùm armorum uſu interdixiſſent ſervis, etiam interdixere Gymnaſiis.*

Teſtis Ariſtoteles lib. 11 Politicorum cap. 111: Κρῆτες γὰρ τἄλλα ταῦτα τοῖς δούλοις ἀφέντες, μόνον ἀπειρήκασι τὰ γυμνάσια, καὶ τὴν τῶν ὅπλων κτῆσιν. *Cretenſes enim, cùm alia ſervis permitterent, gymnaſiis ſolùm iis interdixere, & armorum uſu.* Atque hæc de bellica Gymnaſticæ forma.

34. §. *Athletica forma ſolùm præſtabat corporis magnitudinem, robur, ac celeritatem: idque ut in his aliquis præcelleret cæteris, ac honorem pro præmio referret.*

Curæ enim hoc iis erat, qui in gymnaſiis exercerentur, ut fierent ἀθληταὶ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων, prout eos vocat Xenophon de dictis & factis Socratis. Nomen verò Athletarum magis ad ludos ſpectare Gymnicos, auctor eſt Iulius Pollux.

35. §. *Athletica hæc, dum tota eſt in eo, ut corpus reddat craſſius, ac robuſtius, fere reddebat torpidos, ac ſegnes.*

Conqueruntur de hoc Plato, Galenus, Plutarchus. Ac hic quidem ex eo colligit, militari vitæ eſſe inutilem, imò noxiam. Vide ejus Philopœmenem.

36. §. *Quintuplex verò gymnicum exercitium ſtatui ſolet: curſus, ſaltus, diſcus, jaculum, lucta.*

Quæ Simonides lib. 1 cap. 1 Ανθολογ. hoc verſu complexus:
Ἅλμα, ποδωκείλω, δίσκον, ἄκοντα, πάλλω.

* Fol. 1320. Euſtathius * verò in Homeri Iliad. Ψ, hoc refert ordine: ἅλμα, πάλλω, δίσκευμα, κόντον, καὶ δρόμον. Scholiaſtæ Pindari, ac Sophoclis, hoc modo: ἅλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος, καὶ πάλη. Atque ab his πένταθλοι vocabantur, Latinis *quinquertiones*.

37. §. A

37. §. *A curſu incipiamus, quando is naturâ eſt primus. Hujus certamen publicum primi inſtituere Elienſes.*

Teſtis Pauſanias quincto, & ſexto Eliacorum.

38. §. *In curſu propriè non tam de robore, quàm agilitate, certamen fuit. Quamquam agilitas illa haut expers eſſe roboris debet.*

Itaque veteres interdum laxiùs uſi voce ἰχύος, & ῥώμης *, ſic ut includat τὸ τάχος †. At preſſius accipi dicendum, quando ἰχὺς, & τάχος, conjunguntur. Atque hinc non difficile eſt ſtatuere de quæſtione illa, an ταχὺς † ſit ἰχυρός *.

* roboris. † celeritatem. ‡ velox. * robuſtus.

39. §. *Curſus eſt triplex; in anteriora, in poſteriora, & in orbem.*

Ita Antyllus apud Oribaſium.

40. §. *Præterea à curſu alii dicebantur* σταδιοδρόμοι, *alii* δολιχοδρόμοι, *alii* διαυλοδρόμοι, *alii* ὁπλιτοδρόμοι.

Σταδιοδρόμοις curſus erat unius tantum ſtadii. Vnde Tzetzes * de iis, ἁπλῶν πιθύντων τὸν δρόμον. Sic enim apud eum reſcripſerim cum P. Fabro lib. 1 Agoniſticôn cap. XXVIII. Δολιχοδρόμοι ſic dicebantur, quia duplex uno curſu ſtadium percurrerent; ſed ſine recurſu. Hinc prouerbium apud Pollucem, Μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον: quo ſignificatur, in minori non eſſe majus quærendum. Διαυλοδρόμοι duplicis ſtadii curſum à carceribus ad metam currebant, & recurrebant. Vnde Ariſtophanis ſcholiaſtes: Δίαυλος ὁ διπλοῦν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον, καὶ ὑποστρέψαι. Nomen ex eo, quia ſtadium, ubi currerent, anguſtum foret, ſed porrectum: qualis eſt figura ἐξ αὐλοῦ, ſive tibiæ. Ὁπλιτοδρόμοι in ſtadio decurrebant armati.

* Lib. 3. hiſt. Chil. 6.

41. §. *Curſores habuere endromidas: quod calciamenti genus erat.*

Nomen ἀπὸ τοῦ δρέμειν, quod eſt currere, quia curſum juvarent.

42. §. *A duabus verò rebus quandoque curſoribus impedimentum fuit; à liene, & à zona, ſive ſubligari. Sed lienem athletæ propterea inurebant.*

Ita Plinius lib. XI cap. XXXVII.

43. §. *Quod ad zonam, Olympiadis quinctædecimæ anno primo ab Archonte Hippomene constitutum fuit, ut sine zona, eoque prorsus nudi, cursitarent.*

Idque occasione eâ, quòd Orsippus Megarensis cursu esset superatus, eo quòd subligaculum impediisset cursum; vel, ut alii narrant, cingulum decidere siviſſet, quo expeditiùs curreret, atque ita victor evasisset. Auctores ejus rei Pausanias in Atticis, Poëta incertus in Anthologia epigrammate de Orsippo, Eusebius Chron I, Anonymus Olympiadum scriptor, Isidorus Originum lib. XVIII, cap. XVII, Homeri Scholiastes anonymus in Iliad. Ψ, Nicas, sive Etymologi magni scriptor in Γυμνάσια.

44. §. *Vtile est hoc certamen sanitati, ac bono habitui, vel conservando, vel consequendo. Præcipuè autem habiliores, & expeditiores, ad rem militarem facit.*

Ita Plato in VIII de Legg. Ideo, Salluſtio teſte, Pompeius cum agilibus saltu, cum velocibus cursu certabat. Aliter tamen Diogenes Cynicus; qui apud Dionem Chrysostomum in Diogene, sive Isthmico, contendit, τὸ τάχος δηλίας σημεῖον εἶναι, *velocitatem esse signum ignaviæ, & timoris.* Atque hoc eo adstruere conatur, quòd animalia maximè timida sint celerrima: ut lepus, cervus. Mirum verò Galenum idem sentire libro ad Thrasybulum.

45. §. *Hæc sententia refellitur eo, quòd etiam in bello tempora possunt incidere, quibus satius sit se subducere, totumque exercitum meliori reservare tempori, quàm stultè prælium committere.*

Aliter, scio, animati fuere Lacones; in his Callicratidas; qui, ut Plutarchus narrat in Apophthegmatis Laconicis, cùm ei ad Argenusas pugnaturo diceretur, plures esse Athenienſium triremes, respondit, καὶ τί τοῦτο; ἀλλὰ φεύγειν αἰσχρὸν, καὶ βλαβερὸν τῇ Σπάρτῃ. μένοντα δὲ ἢ ἀποθανεῖν ἢ νικᾶν, ἄριστον. *Quid tum? Spartæ turpe ac noxium est fugere: optimum verò permanentem aut mori, aut vincere.* Hæc convenientia sunt tumori Spartano: qui interdum damnosus publico fuit. Potiùs igitur audiamus Papinium in VI Theb. *

* *vers.* 550.

Solli-

Sollicitat tunc ampla viros ad præmia curſu
Perceleres. Agile ſtudium, & tenuiſſima virtus,
Pacis opus, cùm ſacra vocant, nec inutile bellis
Subſidium, ſi dextra neget.

Notum illud Demoſthenicum:

Ανὴρ ὁ φεύγων κ᾽ πάλιν μαχήσεται.
Pugnabit ille denuo, qui fugerit.

Quo de dixi pluribus lib. II Oratoriarum Inſtitut. cap. VIII §. IV.

46. §. *Nec ſolùm velocitas in fugiendo hoſtem utilis eſt; ſed etiam in ſequendo.*

Et huc potiſſimùm, vel ſolùm etiam, reſpexit Homerus, cùm toties Achillem ſuum *pedibus celerem* appellat; ut antea dicebamus.

47. §. *Curſui naturâ proximus eſt ſaltus, itidem communis nobis cum multis animantibus. Hujus multa admodum genera apud veteres fuere.*

De quibus & varii ſcripſerunt; teſte Luciano περὶ ὀρχήσεως. Sed omnium eorum libri deperiere. Damnum hoc reſarcire, ut potuit, voluit clariſſimus, & amiciſſimus, dum viveret, collega noſter Ioannes Meurſius in Orcheſtra ſua.

48. §. *Saltatio eſt triplex; in altum, in longum, & quæ fit pedes alternis attollendo, ut facere ſolent Salii ſacerdotes, cùm ancilia per urbem geſtant; vel fullones, cùm pedum inſultu veſtem cogunt, ac durant.*

Hæc tria genera memorat Seneca epiſtolâ XV: ubi & alia multa de exercitatione corporis. Pauca adſcribam: *Sunt exercitationes & faciles, & breves, quæ corpus, & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus motæ, & ſaltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille (ut ita dicam) Saliaris, aut (ut contumelioſiùs dicam) fullonius.*

49. §. *Aliter etiam ſaltatio dividitur. Nam alia κυβιστικὴ, alia σφαιριστικὴ, alia quæ ſimpliciter ὀρχηστικὴ vocaretur.*

Κυβιστικὴ erat, quando homines manibus, ac pedibus, ſe ita contorquerent, ut converſione ſui inſiſterent capiti. Quòd & circulatores lu-

celli

celli caussâ agunt, & pueros videmus imitari in lusibus suis. Hoc qui facerent, *cernui*, & *cernuli*, dicebantur: unde *cernuare*, & *cernulare*, quod Græcis κυβιστᾶν. Diximus de eo pluribus in Originum libris. Σφαιριστικὴ erat, ubi pilâ ludentes saltarent: ut liquet ex Homero Odyss. VI. De ὀρχήσει, simpliciter sic dictâ, res magis perspicua est.

50. §. *Porrò ne Lacedæmonii quidem saltationem omnem refugerunt. Interim eam solùm complexi, quam ad bellum conducere putarent.*

Ita Fabius Quinctilianus libro I Oratoriarum Institutionum cap. XI.

51. § *Saltationis bellicæ genera erant* βυαλικπὴ, καπρέα, κολαβεισμὸς, πύλις, πυρρίχη, τελεσίας.

Nihil verò opus, ut puto, exscribere, quæ de singulis horum ex veteribus attulit Io. Meursius in Orchestra sua.

52. §. *Præcipua in iis Pyrricha fuit.*

Sic dicta à Pyrrho, Achillis filio, secundùm Solinum, Diomedem, Proclum; vel à Pyrricho Lacone, aut Cretensi, secundùm Strabonem, Athenæum, Eustathium. Sanè & Lacones hanc inter exercitationes habuere, tanquam bello utilem; teste Fabio lib. I cap. XI: & Cretenses eam pueros edocebant; ut auctor est Nicolaus Damascenus, libro de Moribus gentium, apud Stobæum Ecloga XLII. Marius Plotius, libro de Metris, utramque adfert nominis caussam. Nam pro *Pyrrho Cydonio* legendum apud eum *Pyrricho*; ut jam aliis est obsservatum ex iis, quos dixi: item Nonno Dionysiacorum lib. XXVIII, & Eustathio Iliad. E. Alii, etiam Aristoteles, alias adferunt nominis caussas: de quibus parum laborandum.

53. §. *Fuit ea armatum saltationis genus: inque militaribus exercitationibus reponebatur.*

Latini *bellicrepam* vocabant; teste Festo Pompeio. Quid mirum autem, si putârint conducere militiæ; quando non modò in armis fieret; sed præterea imitaretur omnes corporis flexus, quibus & telorum, & cominus pugnantium ictus, exirent: ut in alterum latus declinando, cedendo retro, subsiliendo, demittendo se humi. Imò & actus referebat,

bat, quibus hoſtis peteretur, gladio, jaculo, ſagittâ; idque & alacriter, & decorè: quîs ſine ſaltatio fuerit turpis, & ingrata. Atque ex hiſce liquet, non ſaltâſſe modò, ſed etiam manibus eſſe geſticulatos: eoque πυῤῥίχη aliter dicta χειρονομία, teſte Athenæo lib. XIV, & Euſtathio in Iliad. N. Ac ſimiliter Heſychio, χειρονόμος, ὀρχηστής. Et Columellæ eſt præfat. lib. I: *Geſticulatorem ſcrupuloſiſſimæ requirant ſaltationis, ac muſicæ rationis ſtudioſi.*

56. §. *Proximæ poſt Pyrrhicham dignationis erat* ἐμμέλεια.

Saltationem fuiſſe tragicam, teſtes ſunt Heſychius, & Ammonius de Differentiis Vocabulorum, in voce Κόρδαξ. Vulgò quidem apud eum legitur: Καλεῖται ἡ μὲν σεμνὴ ὄρχησις, Ἐμμέλεια. Σίκιννις ὃ, ἡ σατυρικὴ· Κόρδαξ ὃ, ἡ κωμική. Sed pro σεμνὴ legendum eſſe τραγικὴ, abundè liquet ex iis, quæ de triplici hoc ſaltationis genere habet Lucianus Περὶ Ὀρχήσεως, & imprimis Athenæus lib. primo. Verba eorum adducimus in ſecundo de arte Poëtica; ubi de chorico dramate agimus.

57. §. *Ad curſum, & ſaltum, referre poſſis pilæ ludum. Nec tamen crura ſolùm exercet; ſed etiam lacertos; imò omnes corporis partes, ipſos etiam oculos.*

Qua de re abunde Galenus libro περὶ σφαίρας.

58. §. *Græcis id certamen dicitur* σφαιρομαχία.

Sed ambiguo vocabulo; quia ſimiliter vocabatur certamen pugilum, quibus ſphæræ pro cæſtibus. Auctor Pollux lib. III cap. ult.

59. §. *Pars item gymnaſii, ubi ſe pilâ exercebant,* σφαιριστήριον *nominatum. Septima ea pars è denis eſt Hieronymo Mercuriali.*

Pilæ ludum primus reperit Pythus: ut eſt apud Plinium lib. VII cap. LVI. Aliquibus tamen in libris, ut Chifletiano codice, eſt *Picus*.

60. §. Σφαιριστικὴ *hæc ars à Mileſiis damnabatur, quia athletæ, in coronariis certaminibus ſæpiùs præmium adepti, cenſerent, pilæ luſum ad nullum eorum certaminum quicquam conferre.*

Auctor Euſtathius in Homeri Odyſſ. Θ*. * Fol. 160.

61. §. *Imò nec ìnter ſacros fuit agones, qui Olympiæ, Delphis, Corinthi, aut Nemeæ, inſtituti.*

Nimirum, quia valetudini ſolùm conducere putarent; non item ad ſacros agonas, vel ad rem bellicam.

62. §. *Athenienſes tamen tanti fecere, ut Alexandrum Caryſtium ſphæriſtam civitate donarint, ac ſtatuam etiam in ejus memoriam conſtituerint.*

fol. 160. Id de Athenienſibus narrat Euſtathius in Odyſſ. ⊙.

63. §. *Græca pila, alia major erat, alia minor: parvæ item varia genera. Prætereà erat pila inanis.*

Quam *follem* Romani vocant; ut mox dicam.

64. §. *Non tam pilæ ludus, quàm aliquid ſimile, Græcis erat, quod κώρυκον dixere.*

Cujuſmodi fuerit, Antyllus apud Oribaſium docet Collectaneorum lib. VI. Atque hinc κωρυκομαλία Aretæo. Aliud eſſe, quàm pilam, vel illud argumento erit, quòd corycum è culmine gymnaſiorum ſuſpenderent.

65. §. *Romanis quatuor fuere pilæ genera; trigonalis, follis, paganica, & harpaſtum.*

Quæ omnia nomine pilæ Italicæ complexus eſt Cælius Aurelianus. Particulatim verò memorat Martialis lib. VII epigr. XXVII:

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat. Ex mox:
Non harpaſta vagus pulverulenta rapis.

Vbi per *pilam κατ' ἐξοχὴν*, ut aliàs ſæpe, trigon, ſive trigonalis intelligitur; ita dicta, quia tres luſores ſic ſtarent, ut trigonum ſpatio, ac figurâ, efficerent. Hi nunc pilam excipiebant; nunc propellebant; ac cavebant ſtudiosè, ne in terram concideret. Follis erat ex aluta, vento ſive aëre inflatâ. Major brachio impellebatur, minor pugno; unde *follem pugillatorium* vocat Plautus Rudente. Facile erat luſus genus; eoque magis

magis pueris,& ſenibus,conveniens; quàm validæ juventuti. Vnde Martiali lib. XIV epig. XLVII:

Ite procul juvenes: mitis mihi convenit ætas.
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

Paganicæ inde nomen, quòd imprimis eâ uterentur in pagis. Major erat trigonali, minor folle; unde Martialis lib. XIV epigr. XLV.

Hæc quæ difficilis turget paganica plumâ,
Folle minùs laxa eſt, & minùs arcta pilâ.

Harpaſta Mercuriali videtur fuiſſe minimum pilæ genus: atque ita dictum, quia ludentium alter alteri eam eriperet. Ludus ipſe φαινίνδα, teſte Athenæo: nempe ἀπὸ τ ἀφέσεως τ σφαιριζόντων, quia longiùs à luſoribus jaceretur. Sed de hoc luſus genere non multùm audeo polliceri. Quanto enim veteribus notius erat; tanto minùs de eo ſibi dicendum putarunt. Hinc tenebræ nobis.

66. §. *Tertium genus gymnici certaminis erat* δισκοβολία. *Diſcus verò, vel æreus erat, vel ferreus, vel lapideus, vel etiam ligneus. Inque medio ſui foramen habuit, ac amento circumnexus, non modò lacertorum viribus, ſed etiam arte quadam, emittebatur.*

Meminit ejuſce exercitationis etiam Homerus Odyſſ. Θ:

Μνησῆες ὃ πάροιθεν Οδυσσῆϊ & μεγάροιο
Δίσκοισιν τέρποντο, ϗ αἰγανέῃσιν ἱέντες
Ἐν τυκτῷ δαπέδῳ.
Proci verò ante Vlyſſis domum
Diſcis delectabantur, & jaculis mittendis,
In area ad eam rem facta.

De materie ejus, quod dicebamus, non uno loco proditum eſt ab Euſtathio *: qui & vocem δίσκος ait eſſe à δίκω, hoc eſt, βάλλω. * pag. 344. & 1591. edit. Rom.

67. §. *Diſco bifariam certabatur; quis longiùs projeciſſet, vel quis propiùs termino.*

In poſteriori diſcoboliâ vitioſum erat diſcum jacere ultra σημεῖον *, ut Odyſſ. Θ, in illo Phæacum certamine, de quo dictum. Euſtathium † vide. * *ſignum.* † pag. 1591.

68. §. *Diſcoboli, ut & curſores, aperto capite certabant.*

Non petaſati; ut traditum Pithœo: ſed petaſati erant aurigæ; ut ex

Athenæo conſtat. Diſcobolo verò capite nudo certâſſe, videre eſt è Ligoriana tabula apud Mercurialem.

69. §. *Vicina verò erant* δισκοβολία, *&* ἀλτηροβολία. *Vti illic diſcus manu projiciebatur, ita hîc* ἀλτῆρες.

De jactu τῶν ἀλτήρων agit Antyllus apud Oribaſium. Etiam egit Budæus; & adverſus eum Cornarius; ac pro Cornario Mercurialis lib. 11 Gymnaſtic. cap. XII.

70. §. *Quartus locus eſto jaculationi: quæ fit manu, jaculo, amento.*

Etſi enim jaculatio, laxiùs accepta, comprehendat τοξευτικὴν, καὶ ἀκοντιστικὴν, ſive *ſagittatoriam*, *& jaculatoriam*: hoc tamen loco propriè intelligitur non illa, quæ fit arcu, & ſagitta; ſed quæ fit jaculo; quod manu jaciebatur, &, ut fortiùs id fieret, amento. Iaculi, diſcique jactum jungit quoque Homerus verſibus antè adductis. Item Horatius libr. I od. VIII:

Neque jam livida geſtat armis
Brachia, ſæpe diſco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

Iaculatores veſtibus induti exercebantur; ſi audimus Euſtathium in † pag. 1334. Iliad. Υ †: ubi ait, prudenter à poeta Regem induci jaculando ſe exercentem; quia non decuiſſet eum aliquod certamen, ubi neceſſe fuiſſet corpus denudare. Interea neque ambiguum mihi, quin plerique in hac exercitatione nudis eſſe corporibus ſoleant; ſaltem poſt tempora Homerica. Nec enim potuiſſet alioqui gymnicum dici certamen.

71. §. *Præcipuum verò, ex quinque antea memoratis certaminibus, erat* πάλη, *ſive lucta.*

A quâ verbum παλαίειν, *luctari*: uti hinc παλαιστὴς, & παλαιστέίτης, *luctator*; ut etiam in Gloſſis Cyrilli exponitur. Item, παλαίστρα, *luctationis locus.* Imò & totum Gymnaſium ſæpe *palæſtræ* nomine συνεκδοχικῶς intelligitur. Ac ſimiliter ſæpè *athletæ* κατ' ἐξοχὴν ſoli luctatores. Πάλην vero dici volunt à πηλὸς, ſive Dorico παλὸς, hoc eſt, *lutum.* Nempe quia athletæ priùs ceromate perfundebantur; deinde reſpergerentur arenâ, ac pulvere. Hujuſmodi inunctio non habebat locum in ſaltatoribus, diſcobolis, & pugilibus.

72. §. *Duo*

72. §. *Duo verò tempora in luctâ distinguimus. Primum ante Theseâ fuit; quando solâ magnitudine, ponderéque, & naturæ viribus nixi, luctarentur. Alterum cœpit à Theseo; qui primus addidit artem* παλαισμικτήν:

Quem luctationis *æstum* vocat Papinius. Eam artem à Theseo esse, auctor nobis est Pausanias in Atticis. Atque addit, eâ victum ab illo Cercyonem; luctâ licet illâ ætate inclytum. Qualis & iisdem temporibus fuit Antæus: sed hunc devicit Hercules. Vtriusque meminit eo nomine etiam Plato in VII de Legg. Quemadmodum verò Hercules athleticum certamen instituit Olympiæ: ita ludos gymnicos in Isthmo Corinthiaco constituit Theseus: ut apud Pausaniam est initio Corinthiacorum, & Plinium lib. VII Natur. Hist. cap. LVI.

73. §. *In luctâ proprium erat* τὸ συμπλέκεσθαι.

Sive nodus, vel mutuus nexus; unde *catenatas palæstras* dixit Papinius lib. II Sylvarum Epicedio in Glauciam Melioris.

74. §. *Etsi verò in luctâ multum valeret robur; plus tamen potuit pondus.*

Sive, ut Græci dicunt, ὄγκος, ἢ πολυσαρκία. Idem censet Fabius lib. XII: *In luctandi certamine plus pondere, & firmitate, & spiritu, agitur.*

75. §. *Erat luctâ duplex; stataria, & volutatoria. Ad stataria pertinet* ἀκροχειρία, *qua summis tantum manibus depugnabant. Porrò in hoc pugnæ genere palmam præripiebat alteri, qui ter eum humi prostravisset.*

Hoc ut faciliùs possent, in complectendo pedes captabant. Quò respexit Plautus Pseudolo act. v. sc. I:

Magnum hoc vitium vino est.
Pedes captat primum. Luctator dolosu' st.

Hæc pars dicebatur παραβλητική, sive projectoria.

76. §. *In volutatoriâ autem victor censebatur, quem sic alter sibi subjecisset, ut prorsus in sua haberet potestate.*

Et hujus, & superioris luctæ, apud Mercurialem habes imaginem lib. II Gymnasticæ cap. VIII.

77. §. Pa-

77. §. *Palæstrico magistro proximus ab Agonotheta honos erat.*

Lydo Plautino * dictus *Gymnasii præfectus*, Græcis ἐπιστάτης: Platoni etiam in 11 de Rep. παιδευτὴς τῶν νέων.

* *Bacchid. act. 3. sc. 3.*

78. §. *Ab hisce quinque exercitationibus* πένταθλοι *Græcis nuncupati, Latinis* quinquertiones.

Festus: *Quinquertium vocabant antiqui, quem Græci* πένταθλον; *ut indicat versus hic:*

Omnîs æqualis vincebat quinquertio.

Livius quoque ipsos athletas sic nominat:

Quinquertiones præco in medium vocat.

Vbi sede quartâ συναλοιφὴ neglecta, nisi D inserto, veterum more, *præcod* scribamus. Etiam in glossis vett. legas: Πένταθλος, *quinquertius*. Quæ fuerint quinque illæ artes, unde *quinquertii* nomen, non aperit Festus: etsi aliter dicant, Petrus Faber in Agonisticis, & Matthias Martinius in Etymologico. Sed ex Græca explicatione liquet, non alias artes signare, quàm eas, quas ex Simonide, & Eustathio, memoravimus. Democritus philosophus vocatus est πένταθλος *: sed κατὰ μεταφορὰν, ut indicant hæc Laertii verba: Ἦν † ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος. Τά γὰρ φυσικὰ, καὶ τὰ ἠθικὰ, καὶ ἄλλα τὰ μαθηματικὰ καὶ τὰς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τέχνων πᾶσαν, εἶχεν ἐμπειρίαν. Vbi ex Suida rescribendum videtur, Ἤσκητο γὰρ τὰ φυσικὰ, ut corrigit P. Faber Agonisticorum lib. 1 cap. xxx.

* *Quinquertio.* † *Siquidem verè erat in philosophia quinquertio. Nam & rerum naturalium, & matheseos, & liberalium disciplinarum orbis, & artium omnium, peritiam habuit longo usu firmatam.*

79. §. *Ex hisce gymnicis certaminibus alia erant levia, alia gravia. Levia cursus, & saltus: in gravibus lucta.*

Hinc Dionysio Halicarn. lib. VII Antiquit. ἀγωνισαὶ † alii κοῦφοι *, alii βαρεῖς †. In levibus etiam ἀκροχειρισμὸν * reponit Hieronymus Mercurialis: quem vide lib. VI de re Gymnast. cap. III. Dubitare tamen de eo videtur Petrus Faber lib. 1 Agonist. cap. xxx, & xxxi.

† *Athletæ.* * *Leves.* ‡ *Graves.* * *Palæstritarum lucta summis certantium manibus, sine reliqui corporis complexu.*

80. §. *Quod si lucta in gravibus reponebatur; quanto magis in his locum meruerit ἡ πυγμὴ, sive pugilatus, qui postea accessit!*

Temporibus vetustis eo præcelluere Epeus, & Amycus: ut est apud Platonem in VII de Legg. Notum etiam de Castore, pugile eximio, qui Amycum interemit.

81. §. *In*

81. §. *In pugilatu primò pugnis solùm pugnabatur.*

Donatus in Prolog. Hecyræ: *Pugil dictus est à pugna, & pugna à pugno. Veteres namque, ante usum ferri, & armorum, pugnis, & calcibus, & morsibus, corporumque luctatione, certabant.* Similiter, qui Latinis *pugil*, Græcis πύκτης, à πυξ, *pugnò*. Hesychius, Πυξ, πυγμὴ, κόνδυλος. Imò & *pugnus* à πυξ, non à πυκνὸς, hoc est, *densus*, quia pugnus fiat condensatione manus; ut Cæsar Scaliger putabat. Qui & *manum* dici credidit à μανὸς, hoc est, *rarus*, quod denso opponitur; nempe quia manus explicita rarum quid est, si compares cum contractâ in pugnum.

82. §. *Stantes verò pugnis decertabant.*

Hoc Luciano est τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην, *rectos stare, ac se invicem ferire.*

83. §. *Postea, ut fortiùs ferirent, usi sunt cæstibus; vel sphæris, quæ pro cæstibus forent. Vnde tantum erat periculi, ut nonnulli in luctando exspirarent.*

Imò vel à solis pugnis periculum erat temporibus, sive locis prope aures. Vnde aures luctaturi muniebant tegumentis; quæ ἀντωτίδας vocat Clemens Alexandrinus in Pædagogo, lib. II *: * pag. 6. quod est περὶ αἰσχρολογίας, sive de turpiloquio.

84. §. *Atque ut homo non interimeretur; sic tamen sæpe mulcabatur, ut post pugnam adeò cruentatus non posset dignosci. Dentes etiam, ossáque, luxabant, aut frangebant.*

Satis hinc liquet, non cujusvis fuisse eo pacto decertare; sed solùm magno corpore, ac robore prædiți. Vnde pugillatum, *virtutem* vocat Isidorus lib. XVIII Originum cap. XVIII. Nam in gymnicis certaminibus reponit virtutem; perque eam se intelligere ait *immensitatem* virium in labore, & pondere. O miseram virtutem atque exercitationem, quâ fieret corpus deformius, membraque redderentur infirmiora, & minùs idonea ad vitæ actus! Iure igitur damnat Galenus lib. ad Thrasybulum. Et tamen non pauci pecuniâ ad hujusmodi certamina conducebantur. Cyprianus de Spectaculis: *Ictibus infelix facies locatur, ut infelicior venter saginetur.* Idcirco, ut crudelior, ab Ammiano Marcellino lib. XIV culpatur Constantinus Cæsar, qui nullo æquè certamine, ac pugilatu, caperetur, cæteris licet duro magis, diróque.

85. §. *Post-*

85. §. *Postea pugillatui accessit quoque παγκράπιον: quod, Suida teste, aliter dicebatur παμμάχιον. In eo pugnis, & calcibus, decertabant: ut luctâ constiterit, & pugilatu.*

Quemadmodum & apud Plutarchum legas lib. 11 Symposiac. quæst. IV, Lucianum in Anacharside, sive de Gymnasiis, & Nicephorum Gregoram ad Synesium. Aristophanis igitur Scholiastes, cùm octo enumerat gymnica certamina, uti peccat, cùm non videt, στάδιον, δίαυλον, δόλιχον, ὁπλιτόδρομον, ad unam cursus exercitationem pertinere: ita etiam errat, cum inter πάλην, & πυγμὴν, medium interserit παγκράπιον, quasi non ex utraque componeretur.

86. §. *Pammachio, sive pancratio, primus Olympiæ victor fuit Hercules: à quo Olympiaci ludi sacrati fuere Pelopi, Tantali filio, Herculis atavo materno.*

Vt Hyginus, Solinus, & alii sunt auctores. Vnde Ausonius Idyllio XXIII:

Tantalidæ Pelopi mœstum dicat Elis honorem.

87. §. *Hujus quoque certaminis non magna erat dignatio sapientibus, ob simile ab ictu periculum. Sed nonnulli satis bene pugnis, vel cæstibus, depexi, ut graviora evitarent, manum demittebant. Nempe contraria erant signa, porrectio manus, & demissio. Porrectio indicium erat animi ad certamen promti, paratique.*

Vnde Papinius VI Thebaidos:

Promisere manus.

Vt illa porrectio fuerit pugilatûs proœmium.

88. §. *Demissio autem manûs erat argumentum diffidentis suis viribus, seque victum turpiter agnoscentis. Quæritur, an & ea obtinuerit apud Spartanos. Vsi quidem pugilatu, etiam pancratio, ac cæstu. Imò & sequior sexus iis decertabat.*

Quod ex illis Propertii clarè elucet lib. III eleg. XIII:

Multa

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ:
Sed mage virginei tot bona gymnasii.
Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros:
Cùm pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & ver clavis adunca trochi:
Pulverulentáque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris:
Missile nunc disci pondus in orbe rotat:
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput.

Plusçula adscripsi, ut eâdem, de aliis etiam Spartanarum exercitationibus, liqueret. De virginibus similia Xenophon *, Plutarchus †, vetus poëta apud Ciceronem *, Claudianus †.

* *De Rep. Laced.*
† *in Lycurgo.*
* *Tusc.* 2.
† *de Manlii consulatu.*

90. §. *Sed Lacedæmoniis turpe visum manus dimittere, seque victum agnoscere. Ac propterea interdictum iis, ne foris, ubi illa demissio obtineret, pugilatu, aut pancratio, vel cæstibus, certarent. Domi quidem sic exercebantur: sed interimi maluissent, quàm manus dimittere, seque victos confiteri.*

Nimirum Lacedæmonii voluere, ut sui essent animis invicti. Ac ne Magnus quidem Alexander istiusmodi certamen probabat. Itaque alia quidem edi jubebat: ea autem, quæ proximè retuli, non item: teste Plutarcho in ejus vita.

91. §. *Major verò dignatio, atque ad militiam & fortitudinem usus, pugna gladiatoriæ fuit. Quæ vel inter duos erat* (μονομαχίαν *vocant*;) *vel inter plures.*

Atque ad utramque præparabat decertatio cum umbra; quæ σκιαμαχία dicitur: vel cum palo; de qua Iuvenalis sat. VI, & Vegetius lib. I de Re militari cap. XI.

92. §. *Etiam ad militiam præparat venatio: & hoc præterea habet, quòd in ea concurrant ἄσκησις ψυχικὴ, καὶ σωματικὴ* *.

* Exercitatio animi, & corporis.

Sed de hac potiùs dicemus, ubi deventum erit ad eas artes, quas complexu suo continet naturæ scientia, quatenus non in contemplatione con-

ne consistit, sed in operando : ut fieri videmus in medicina , agriculturæ scientia, & similibus.

93. §. *Nec qui vehementes ejusmodi corporis exercitationes non sufferunt , eò omnis exercitii esse expertes debent. Quædam enim haut magnas corporis vires requirunt , atque iis etiam conveniunt, qui penè assidui sunt in studiis : item senibus, atque aliis naturæ imbecillioris. In his primum sibi locum vindicat deambulatio.*

Laudat eam quoque L. Seneca epist. xv. Verba mox adferam. Hujus ergô Romæ erat porticus Pompeia , memorata non solùm Propertio, Ovidio, Martiali; sed etiam Catullo epigr. LVI, quod ad Camerium; ubi *Magni ambulatio* vocatur.

94. §. *Item stare erectum : quod ambulatione ipsâ vehementius exercitium est.*

Quomodo & avibus longè est molestius , si in aëre non moveantur , quàm si volent.

95. §. *Vectatio etiam, sive gestatio, multum corpori conducit.*

Seneca epist. xv : *Gestatio & corpus concutit , & studio non officit : possis legere, possis dictare , possis loqui , possis audire : quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri.* Idem epist. LVI : *Mihi tamen opus erat concutere corpus , ut sive bilis insederat faucibus , discuteretur ; sive ipse ex aliqua caussâ spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio.* Laudat & Plinius lib. XXVIII.

96. §. *Vectatio hæc vel in aquis fit, vel in terra. In aquis navigatio dicitur.*

Commendat eam Celsus lib. II cap. de Gestatione : *Genera gestationum plura : sed tamen levissima est navi , vel in portu, vel in flumine : vehementior in alto mari.*

97. §. *In terra vel ab animato fit, vel inanimo. Animato , ut ἱππασία, sive equitatio.*

Cujus inventor Bellerophon dicitur Plinio lib. VII cap. LVI.

98. §. *In-*

98. §. *Inanimo quæ debetur, particulatim, ſed generis nomine, vocatur* geſtatio.

Quæ quia & ipſa corpus exercet, eò à fine γυμνασία vocatur. Gloſſæ Philoxeni : *Geſtatur*, γυμνάζεται. *Geſtor*, γυμνασιής. *Geſto*, γυμνάζομαι. *Geſto*, γυμνάζω. *Geſtantur*, γυμνάζονται. *Geſtatio*, γυμνασία. At propriè magis eædem Gloſſæ : *Geſtatio*, ἐώγα. Item Gloſſæ Cyrilli : Αιῶγα, *geſtatio*. Αιωγίζε), *geſtatur*.

99. §. *Fit hujuſmodi geſtatio trifariam; lectîcâ, ſcamno, ſive ſellâ, & vehiculo.*

Cornelius Celſus lib. 11 cap. de Geſtatione : *Vehementior geſtatio lectîcâ, aut ſcamno; acrior vehiculo.* Vide Iuſtum Lipſium lib. 1 Centuriæ Miſcellaneæ epiſt. x1, quæ ad Abrahamum Ortelium. Item de lecticæ ac ſellæ forma adi eundem lib. 1 Electorum cap. x1x.

100. §. *Quid quòd ne infantes quidem prorſus exercitiis carent? Nam præterquam quòd ulnis geſtentur, & curriculis puerilibus vehantur : etiam agitantur in cunis, vel lectis penſilibus.*

Hic poſterior modus Aſclepiadis eſt inventum : ut auctor eſt Plinius lib. xxv1 cap. 111.

101. §. *De gymnaſtica ſatis. Cætera peti olim potuere ex antiquis artis gymnaſticæ ſcriptoribus.*

Quales Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Philotimus, Eraſiſtratus, Erophilus, Aſclepiades, Theo, Diotimus. Quorum commentarii à veteribus citantur.

102. §. *Sed, his deperditis, adeundi, qui ex antiquis obſervarunt eò pertinentia, & literis conſignarunt. Vti ſunt Hieronymus Mercurialis, & Petrus Faber.*

Ille libris ſex, quos *de arte Gymnaſtica* inſcripſit; hic tribus Agoniſticôn libris. Iuvabunt etiam alii; ut Budæus Annotat. in Pandectas ad L. Athletas; item Cæſar Scaliger lib. 1 de Re Poëtica cap. xx11; adhæc Meurſius de ludis Græcorum, & alii nonnulli. Ioannes Sarisberienſis de nugis Curialium lib. v111, cap. x11 : *In omnibus, quæ ſimpliciter expetibilia*

bilia ſunt, quo intentiora ſunt in qualitate boni, eo expetibiliora ſunt. Sed ex adjunctis poſſunt nonnulla eſſe ſuſpecta. Lucius Sylla, vir tanti nominis, optimè cantâſſe traditur: ſed dotem libidinis, & crudelitatis notâ, perſtrinxit. Catoni quoque viſum eſt, bene cantare non ſerii hominis eſſe. Vnde nimirum Marcum, ſenatorem non ignobilem, Cæcilium ſpatiatorem, & Feſcenninum vocat; eumque ſtaticulos dare, his verbis ait: Deſcendit de cantherio, inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere. Et alibi: Præterea cantat, ubi collibuit; interdum Græcos verſus agit, jocos dicit, voces denuctat, ſtaticulos dat.* Hauſit iſta de Catone ex Macrobii lib. 11 Saturnal. cap. x.

* demutat.

CAP. IV.

DE MVSICE.

1. §. *SEquitur Muſice: quam ſi ratione πράξεως attendas, ſimpliciter definias canendi artem: ſin θεωρίαν conſideres, potius dicendum, eſſe ſcientiam ſonorum, quatenus ſunt numeroſi.*

Nempe duo ſpectantur in objecto Muſices; materiale, ſive res conſiderata; & formale, ſive modus conſiderandi. Prius eſt ſonus: de cujus natura abunde videor dixiſſe operis de Theologia gentili, & phyſiologia Chriſtiana, lib. 111 cap. xxv11. Alterum eſt numerus, ac menſura. Nam Muſice numerat ſonos; eorumque longitudinem, & altitudinem metitur.

2. §. *Aliter* Harmonice, *vel* Canonice, *nuncupatur.*

Imò ſunt, quibus *Muſices* vox diſpliceat: quia Muſæ ſunt fictitia impiarum gentium numina; nec conveniens ſit, nobiliſſimæ arti, à vero numine nobis conceſſæ, à gentili numine nomen dare. Sed non attendunt, quemadmodum Iuſtitia, Fides, Miſericordia, Febris, Pallor, priùs fuere, quàm in Deorum numerum referrentur: ita priùs fuiſſe Muſas, quàm Deæ crederentur. Nam primò *Muſa* haut aliud ſignificabat, quàm artem, ſive diſciplinam. Id enim Hebræis eſt מוּסָר Moſar; unde Doricum Μῶσα, pro quo alii Μοῦσα maluere. Etſi verò artes ſint complures; huic tamen id κατ' ἐξοχὴν † datum, quia olim ab ea caperent initium diſciplinarum. Interim, quia nomen id naturâ ſuâ latè admodum patet; non impedio, quo minùs *Harmonicam* potiùs dicamus. Nam ſonorum harmoniam docet. *Canonicam* etiam vocarunt. Agellius lib. xv1, cap.

† per excellentiam.

XVI, cap. XVIII : *Pars quædam Geometriæ ὀπτικὴ appellatur, quæ ad oculos pertinet : pars altera, quæ ad aures, κανονικὴ vocatur ; qua Muſici in fundamento artis ſuæ utuntur.* Item : Κανονικὴ *longitudines, & altitudines vocis, metitur.* Interea nec hæc voces ambiguitatis ſunt expertes, cùm etiam accipi ſoleant pro parte aliqua hujus artis;ut inferius dicemus. Imo eſt & affectuum harmonia quædam, quàm *vitæ concentum* dicimus : alia item qualitatum corporis,quam *temperamentum* vocamus. Hæc Phyſica, altera Ethica eſt harmonia. De neutra agi hoc loco ; imò ἀκύρως* admodum utramque *harmoniam* vocari ; ſatis puto apertum. Nimirum hoc loco agendum duntaxat de harmonia illa, quam aurium judicio percipimus. Eſt enim hujus artis ſonos diſtinguere, ac dijudicare.

* *improprie.*

3. *§. Muſicen dividunt in naturalem, & artificioſam : naturalem autem in cæleſtem, & eam, quæ cæleſti in homine reſpondet. Eſtque ea Pythagoreorum diſtinctio : qui credebant,concitatiſſimo cæleſtiumorbium motu ſonum cieri ſuaviſſimum ; ſed quem aures noſtræ non percipiant, quia à primordiis ei adſueverimus.*

Quemadmodum obſurdeſcunt fabri ferrarii ad malleorum ictus, & accolæ cataduporum Nili, ad perpetuum fluvii ſonum de præfractis montium delabentis. Hanc opinionem ſecutus Dorylaus, cælum vocabat *organum Dei*, per Deum intelligens ſolem ; quomodo & Manilius, aliique, nomine *Dei* utuntur. Et Varro, eodem reſpiciens, cœlum appellat *divûm lyram* ſat. ὃν & λύραν :

Quam mobilem Divûm lyram Sol ἁρμογῇ
Quadam gubernans motibus Diis veget.

Etiam eſt Varronis Atacini :

Et ſeptem æternis ſonitum dare vocibus orbes
Nitentes aliis alios.

Vbi *niti* poni videtur pro *obniti*, & *obluctari.* Imò ſequitur hanc quoque ſententiam Philo Iudæus, libro *quòd ſomnia immittantur à Deo.* Vult autem, duo eſſe in mundo hoc, quæ Deum celebrent ; cælum, & mentem humanam : cælumque eſſe inſtrumentum Muſices archetypon, tam affabrè elaboratum, ut hymnis perpetuò Dei reſonet laudem. Quæ opinio etſi fortaſſe non eſt vera ; nihil tamen habet abſurdi. Ex Ariſtotelis tamen ſententia, hoc de cælorum concentu à Pythagora ἐμμελῶς* μὲν λέγεται, καὶ μυστικῶς· ἀδύνατον δὲ τῷ τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον. Vide eum lib. II de Cælo cap. IX* : ubi totus eſt in opinione eâ refellendâ. Adi & Ci-

* *Concinne quidem, muſiceque dicitur : at fieri nequit, ut ſe res ita habeat.*

* *textu* 53.

& Ciceronem in Somnio Scipionis, Philonem libro de ſomniis, Boëthium lib. 1 Muſic. cap. x. Nec alienus ab eâ ſententiâ B. Ambroſius videtur, præfat. comment. in Pſalmos: ſed lib. 11 Hexaem. cap. 11 ait, parum validis hanc opinionem argumentis eſſe ſubnixam.

4. §. *Hoc loco non de harmonia cæleſti agendum; quando, ecqua ea, an nulla ſit, neſcitur; cùm ad nullius aures pertingat: ſed ſolum de illa, quæ humano fit artificio. Ac primum de origine ejus videndum. Nec enim deſunt, qui aves oſcines cenſeant homini ad cantum præiviſſe.*

Hæc ſententia eſt Chamæleontis Pontici: cujus verba apud Athenæum reperias lib. 1x. Ac favet Lucretius iis, quæ de Muſices origine cecinit lib. v. Neque id magis eſt abſurdum, quàm quòd hirundini acceptam ferunt artem ædificandi; araneæ, artem texendi; vel quòd ab aſino ἀμπελοτομίαν † didiciſſe volunt Nauplienſes, cùm animadvertiſſent vites ab eo arroſas meliùs creviſſe; teſte Pauſania in Corinthiacis: qui & tradit, ideo Silenum, Liberi patris comitem, & cuſtodem, aſino imponi à poëtis.

† *putationem vitium.*

5. §. *Alii turpe arbitrantur homini abjudicare tam nobilis artis inventum. Sed putant, philoſopho tribui debere; nec alii quàm Pythagoræ; quem ajunt numeros primum obſervaſſe ex alternis fabrorum ictibus.*

Ex illis enim reſultat συμφωνία, ac concentus. Atque eò reſpexit divinus poeta 1v Georg.

Illi inter ſeſe magnâ vi brachia tractant
In numerum.

Hoc eſt, in ordinem; ut exponit Servius. Et Callimachus hymno in Dianam, de iiſdem Cyclopibus:

Εὖθ' ὅιγε ραιῃῆχς ἀειρόμενοι ὑπὲρ ὤμων
Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἢὲ σίδηρον,
Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἐπεὶ μέγα μοχθήσειαν.

Vbi ἀμβολαδὶς eſt, ἐκ διαδοχῆς, ut exponit ſcholiaſtes. Latine eos verſus ſic expreſſit Floridus Sabinus, inque tralatione ſua retinuit Bonaventura Vulcanus:

At poſtquam in vacuas elatus malleus auras
Percuſſit ſtridens incurvâ forcipe ferrum;
Perque vices connixi id pulſavêre Cyclôpes.

6. §. Sed

6. §. *Sed hæc ſententia omnibus ſine dubio ridicula videbitur, qui aliquam temporum notitiam habent. Nam multò Pythagorâ antiquior eſt Homerus: apud quem crebra eſt Muſices mentio. At Homero longè vetuſtior eſt Muſice, cùm ea fuerit ante diluvium.*

Nam trinepos Adami Iubal citharâ, & tibiâ canendi artem reperit; ut ex divino Moſe * notum. Non dubium autem, quin ore priùs cecinerint, quam organis. Qua de re plura nos libro de natura, ac conſtitutione Poetices. * *Geneſ* 4. 21.

7. §. *Et quid mirum, cùm homini naturâ ſit ingenitus, ſicut Gymnaſtices, de qua antè dictum, ſic etiam Muſices amor?*

Vt de utraque auctor Galenus lib. 1 de tuenda valetudine. Vbi ait, cunctos homines ad Muſicen, ac Gymnaſticen, propenſos naſci; nec quicquam reperiri, quod corpus, & animum, hiſce duobus magis componat, & ad bonam frugem inducat.

8. §. *Rectè igitur cenſent, qui è diſciplinis nihil Muſicis volunt eſſe antiquius.*

Atque id gentiles etiam agnovere. Fabius lib. 1 cap. XVII *: *Timagenes auctor eſt, omnium in litteris ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen exſtitiſſe.* Ægyptii tribuêre inventionem ejus Μανέρωτι Ægyptio, quem in conviviis ſuis cantabant: ut auctor eſt Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. * *Sive aliis* 10.

9. §. *Poſſis tamen & defendere eos, qui Pythagoram faciunt Muſices auctorem: dummodo intelligatur Muſice, quatenus diſciplina eſt ſonos acutos, & graves, non ſenſu modò, ſed ſubtiliori etiam ratione, perpendens.*

Nam, ut ſuperiùs, diximus, Muſice bifariam conſideratur, prout θεωρίαν † propoſitam habet, & prout πράξιν. * Priori modo ſcientia eſt, ac ſonos ratione diſcernit, quod ſpectavit Pythagoras. Poſteriori ars eſt, & ſonos non niſi aurium judicio menſurat: quod multis ſeculis priùs obtinuit: atque eo modo poſtea conſideravit Ariſtoxenus in iis, quæ de Muſicis reliquit. † *ſpeculationem.* * *actionem.*

10. §. *At notæ ſex, quibus vulgò utimur, nec dum fuêre ante annos ſexcentos. Siquidem eas invenit Guido, abbas Aretinus, is, qui adverſus Berengarium ſcripſit.*

Auctor Sigebertus in Chronicis ad annum CIↃXXVIII: unde & Guidonis

donis illius ætatem cognoſcimus. Nempe claruit temporibus Conradi junioris ; ut etiam eſt apud Trithemium de viris illuſtribus ordinis Benedictini lib. II cap. LXXIV. Perperàm aliqui toto ſeculo faciunt juniorem. Notarum ſex nomina ſunt in Sapphicis iſtis Pauli, Romanæ eccleſiæ diaconi :

VT queant laxis *REsonare fibris*
MIra geſtorum *FAmuli tuorum*,
SOLve pollutis *LAbiis reatum.*

Occaſionéque ejus hymni nomina iſthæc notis fuêrunt impoſita, extrahendo tum initialem ſyllabam verſus ; tum eam, quæ eſt poſt penthemimerim. Græci necdum iis utuntur : ſed alia habent ſigna in libris, unde vocem ſciant variare. Eas vide apud Cruſium, Turcogræciæ lib. II, annot. in Malaxi hiſtoriam patriarchalem ſextam.

II. §. *Muſices finis eſt honeſta aurium, atque animi, voluptas.*

Vnde παιδιὰν * vocat Athenæus in XIV. Niſi παιδεία * legendum. Sanè utrumque de Muſice veriſſimum. Nec eò contemnenda, quia ad modum luſûs oblectet. Nam, ut ait Poëta *,

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

Eoque opus eſt animis, & corporibus noſtris, otio, quod poſt negotia recreet, & reficiat, ut ad labores deinde alacriùs redeamus. Vnde & Dion dicebat, tria eſſe, quæ quiete accipiant vigorem ; τόξον, λύρην, καὶ ἄνθρωπον. † Scitè etiam Fabius lib. I, cap. X : *Muſicen Natura ipſa videtur, ad tolerandos facilìùs labores, velut muneri nobis dediſſe.* Sed imprimis vide Ariſtotelem lib. VIII. Polit. ubi fusè docet, τὴν φύσιν αὐτὴν ζητεῖν, μὴ μόνον ἀ σχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς. *Naturam ipſam quærere non ſolùm rectè in negotio, verum honeſtè etiam in otio verſari.* Tantùm oportet & tempore otiari, & cum modo. Siquidem ὁ τέλος τοῦ βίου ἡ παιδιὰ ἡμῖν. *non ludere eſt finis vitæ nobis* : verùm oportet καιροφυλακεῖν, καὶ εἰσάγειν παιδιὰς φαρμακείας χάριν. *temporis habere rationem, & adhibere ludum medicamenti cauſſâ.* Quòd poſtea, de requie agens, his verbis explicat : τὸ γὰρ ἀπὸ τῶν πόνων λύπης ἰατρεία τίς ἐστι. *medicina enim quædam eſt triſtitiæ ejus, quæ naſcitur à laboribus.* Quid mirum ? quando, ut idem ait, ἔχει ἡ μουσικὴ τὴν ἡδονὴν φυσικήν. *muſica habet naturalem voluptatem.* Vnde, ut ibidem Ariſtoteles ſubjungit, ſic poëta Muſæus, βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν, *Homini res jucundiſſima cantus.*

Etſi verò antiquum eſſe admodum neceſſe ſit, cujus hîc meminerit Ariſtoteles : non tamen ille exiſtimandus eſt, qui Orpheo erat σύγχρο-

* *diſciplinam.*

* *Ovid. epiſt. Phædræ ad Hippol.*

† *arcum, lyram, & hominem.*

vo* , ac Homero præponitur à Marone in VI Æneidos : ſed is , cujus Theogonia , & Sphæra , olim circumferebatur ; ut conſtat ex Laërtii procœmio; ſive verum ei Muſæi nomen, ſive id fictitium. At cave , aſſentiaris ſummo viro Cæſari Scaligero; qui in libris de re Poëtica exiſtimat, hunc eſſe eum , cujus de amoribus Herûs , & Leandri , lepidum exſtat poëma. Nam ille Ariſtotele , & Marone , longè junior fuit ; ut mirandum non ſit , ſi nemo ejus ante Tzetzem meminerit. Vera nempe hujus poëmatis eſt inſcriptio, Μουσαίου τοῦ Γραμματικοῦ : quæ in vett. codd. inventa eſt à Michaële Sophiano. Sed à Muſæo ad Muſicen redeo. Hæc dulcedine ſuâ idem præſtat , ac ſomnus , & vinum liberaliùs hauſtum. Tria enim hæc , ut Ariſtoteles ait , πάνυ μέριμναν ; *curas graves ſedant.* Et magnam profectò Muſices ſuavitatem eſſe oportet ; quando etiam Lacedæmonii hac utebantur ad vitæ auſteritatem modulorum dulcedine temperandam ; ut eſt apud Athenæum lib. XIV. Hac etiam infantes permulcentur; hac opifices, & mulieres, ſolantur laborem. Quærat aliquis , unde ea ſit Muſicæ vis in animos humanos. Pythagoras , & Platonici, putarunt , eſſe ex reminiſcentia harmoniæ cæleſtis ; quam audierint , antequam in corpora hæc immitterentur. Sed Chriſtianis convenit, animas demum, cùm infunduntur, creari; vel ſaltem non niſi , cum propagantur , initium capere. Herophilus eſſe eam putabat cauſſam , quòd anima ipſa ſit harmonia. Verùm non harmonia eſt , ſed harmonica : ut quæ ſit ἐντελέχεια, ac forma ſubſtantialis ; non accidens , quale eſt harmonia. Quare potiùs dixero , eſſe hoc à ſenſûs natura : nec minùs ſurdi eſſe quæſtionem , cur tam libenter audiamus harmonica ; quàm , ut Ariſtoteles ajebat , quæſtio eſt cæci , cur tanta cum voluptate cernamus pulcra. Atque hanc nativam Muſices vim etiam arguit , quòd ejus ſuavitatem muta percipiunt animantia. Vnde Tullius pro Archia : *Beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur.* Pythocharis tibicen dicitur luporum impetum cohibuiſſe vehementi , & concitato tibiæ cantu : ut eſt apud Ælianum Hiſt. Animal. lib. XI , cap. XVIII. Atque idem libro XII cap. XLIV docet, quomodo elephanti , capti Muſicâ , manſueſcant ; uti & equæ Libycæ, quæ eâdem (quaſi hymenæus canatur) in Venerem incitantur. Idem de elephantis dixerat Strabo in XV. Ælianus itidem ejuſdem lib. XII. cap. XLV , delphines cantu delectari , oſtendit hiſtoriâ Arionis Methymnæi; de quo Plinius lib. IX, cap. VIII, & Solinus cap. XXII. Idem Ælianus cap. XLVI tradit , ut apri , & cervi , Muſicâ capiantur. Porphyrius quoque , in tertio de abſtinendo ab eſu animalium , in literas retulit , elephantos , & equos , ac piſcium etiam nonnullos , demulceri tibiis , ac fiſtulis. Plura autem Martianus Capella lib. IX : *Animalium verò ſenſus*

* æqualis.

meis cantibus incunctanter adduci, ſaltem Thracius citharista incunctanter perdocuit; in quo non fabula, ſed veritas, gloriam procreavit. Vnde enim cervi fistulis capiuntur? Pisces in ſtagno Alexandriæ crepitu detinentur? Cygnos Hyperboreos citharæ cantus adducit? Elephantes Indicos organicâ permulſos detineri voce compertum? Fistulis aves allici comprobatum? Fides delphinis amicitiam hominum perſuadere? Quid? cantibus allici, diſrumpique ſerpentes? Vide & Gyraldum dialog. 1 Hiſtor. Poëtarum *.

* *pag.* 18. *edit. Baſil. a.* 1580.

12. §. *Honeſta hæc Muſices voluptas etiam valetudini confert.*

Iamblichus in Pythagoræ vita cap. XXVIII †: Υ̓πελάμβανε ὴ καὶ τὴν μουσικὴν μεγάλα συμβάλλεσθαι πρὸς ὑγείαν, ἄν τις αὐτῇ χρῆται καθὰ τὰς προσηκούσας τρόπους. *Exiſtimabat autem, & Muſicen multum conferre ad ſanitatem, ſi quis eâ, quomodo convenit, utatur.*

† *pag.* 148.

13. §. *Quin morbis etiam certis mederi, traditum eſt.*

Vti iſchiadicis; quemadmodum à Theophraſto eſt proditum. Athenæus lib. XIV: Ὅτι ὴ καὶ νόσους ἰᾶται Μουσική, Θεόφραστος ἱστόρησεν, ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιακὰς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις ἅμα τόπου τῇ φύσει ἁρμονίᾳ. *Morbis auxiliari Muſicen, Theophraſtus libro de Enthuſiaſmo ſcripſit, & qui vexantur coxendice, eo cruciatu liberari, ſiquis, dum dolor urget, tibiis Phrygiam modorum harmoniam canat.* Apollonius Caryſtius in hiſtoriis mirabilibus †: Ἄξια δ' ἐστὶν ἐπισκέψεως τὰ εἰρημένα Θεοφράστῳ ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμῶν. Φησὶ γὰρ ἐκεῖνος, τὸν Μουσικὸν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν, καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν, ἰατρεύειν. καθάπερ λειποθυμίαν, φόβους, καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῶν διανοίας ἐκστάσεις. ἰᾶται γάρ, φησιν, ἡ καταύλησις, καὶ ἰσχιάδα, καὶ ἐπιληψίαν. *Hæc verò digna ſunt animadverſione dicta à Theophraſto, in libro de divinis furoribus. Scribit, Muſicen multis animi corporiſque affectionibus mederi: ut animi defectui, metui, diuturnis mentis alienationibus. Sanat, inquit, fiſtulæ cantus etiam iſchiadem, & morbum comitialem.* Subjungit deinde, multos ſuâ ætate, ac potiſſimùm Thebanos, tibiæ cantu mederi morbis conſueviſſe. Agellius lib. IV cap. XIII: *Proditum hoc à pleriſque eſt, & memoriæ mandatum; iſchiaci cùm maximè doleant, tum, ſi modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrimè in libro Theophraſti ſcriptum inveni, viperarum morſibus tibicinem, ſcitè modulatéque adhibitum, mederi. Refert etiam idem Democriti liber, qui inſcribitur* περὶ λοιμῶν, ἢ λοιμικῶν κακῶν ‡, *in quo docei, pluribus hominum morſibus medicinam fuiſſe incentiones tibiarum. Tanta prorſus eſt affinitas corporibus homi-*

† *cap.* 48. & 49.

‡ *De peſtibus, aut peſtilentibus malis.*

hominum, mentibuſque; & propterea quoque vitiis, aut medelis animorum & corporum. Sed imprimis illuſtris ille locus eſt Martiani Capellæ lib. IX; ubi ſic Muſicen loquentem inducit: *Quid? afflictationibus corporeis nonne aſſiduâ meditatione ſuccurri? Febrem curabant, vulneráque veteres cantione. Aſclepiades item tuba ſurdiſſimis medebatur. Iſchiadas quis neſciat expelli aulica* (αὐλικῇ, ſive tibiali) *ſuavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretenſem citharæ ſuavitate compertum eſt morbos, ac peſtilentiam, fugaviſſe. Herophilus ægrorum venas rhythmorum collatione penſabat.* Hujuſmodi à Galeno * etiam, & medicorum aliis, prodita: quos longum ſit apponere. Cælius id vocat, *loca dolentia decantare*; quod à fiſtulare quodam factum, Philiſtionis frater prodidit; ut idem ait. Vide & Gyraldum dialogo 1 Hiſtor. Poëtarum †. Illud poſtremò addamus, erràſſe Agellium; quando, ut ſuprà vidimus, ait, Theophraſto ſcriptum, *iſchiacos minùs dolere, ſi modulis lenibus tibicen incinat.* Nam, quod à Mureto etiam in Variis Lect. * obſervatum fuit, & ex Theophraſti verbis adductis ab Athenæo videre eſt; ſanabantur τῇ Φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ ‡. At modi Phrygii non lenes fuere; ſed graves, ac vehementes. Vnde eorum uſus erat in ſacris matris Phrygiæ, ad furorem concitandum. Eóque ſpectat hoc Catulli carm. de Berecynthia:

* *Lib.* 1 *de Sanitate tuenda, cap.* 11.

† *pag.* 17. *edit. Baſil. an.* 1580.

* *Lib.* 13 *c.* 6.

‡ *concentu Phrygio.*

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Ac metuit Muretus, ne in altero quoque ab eodem Agellio ſit aberratum: quando nempe ait, mederi Muſicen à vipera morſis. Exiſtimat enim, hoc non de vipera, ſed phalangio, ſcripſiſſe, aranei genere, à Tarento urbe, quæ nunc *Taranto*, *tarantola* vocato. Ab hoc morſi inſecto tibicinum cantu, quaſi è gravi ſomno, excitantur; atque inde, parum compotes mentis, ſubſiliunt, ac tripudiant, donec laſſati ſudore diffluant, ac concidant tandem. Paullò tamen aliter hanc rem memorant alii. Sed ſi tarantulam intellexit Theophraſtus, non ita multùm hoc argumentum facit ad quæſtionem illam, utrùm cantus ad tibiam ſanet morbos. Nam tibia quidem ab illo aranei genere morſis animum ad tripudiandum accendit: ſed vehemens, ac diutina ſaltatio, præſtat, ut venenum à corde propellatur, atque unà cum ſudore expellatur foras. Hæc igitur Muſices vis non tam ad corpus pertinet, quàm animum; de quo nunc dicere aggredior.

14. §. *Etiam Muſice magnam obtinet vim in animos humanos. Quod & poëtarum fabulæ teſtatum faciunt.*

Vt cum Amphion Muſicus, Iovis ex Antiope filius, dictus eſt ſaxa,

hoc eſt, ſaxeos, duroſque Thebanos, qui à finitimis Phlegræis vehementer oppugnabantur, ita permulſiſſe citharâ, ut urbem turribus, & mœnibus, munirent, ac foſſâ cingerent. Horatius lib. III, od. XI:

Movit Amphion lapides canendo.

Et Epiſtolâ ad Piſones:

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis.

15. §. *Sed nihil opus ad fabulas recurrere, quando tam multa ſe offerunt in vita humana, quæ doceant, quantum Muſice proſit ad eam honeſtè traducendam: ut primùm eo, quòd aſſuefaciat ad iis gaudendum, quibus gaudere eſt honeſtum.*

Hoc nomine Muſicen laudat Ariſtoteles VIII Polit. Quid autem melius gaudio innoxio; imò à noxiis voluptatibus avocanti? Quemadmodum igitur infantibus, ne frangant vaſa, ex Architæ Tarentini ſententia, datur πλατυγή, ſive *crepitaculum*, quo ſe oblectent: ita, πλατυγῆς loco, paullò provectioribus cantum, ne malè agant, concedemus. Nam, ut Ariſtoteles inquit, ὃ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν. *Quod juvenile eſt, nequit requieſcere.*

16. §. *Ac majus illud, quòd Muſice etiam, tum animum ſegnem excitat ad agendum; tum affectibus æſtuantem ſedat, & à motibus turbidis purgat.*

Docet id Plato libris de Rep. & in quarto de Legibus. Vnde Cicero in ſecundo de Legibus: *Aſſentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles, influere, quàm varios canendi ſonos: quorum, dici vix poteſt, quanta ſit vis in utramque partem: namque & incitat languentes, & languefacit excitatos; & tum remittit animos, tum contrahit.* Ante etiam Platonem, hanc Pythagoræ fuiſſe ſententiam, auctor eſt Strabo lib. x. Atque ex eo mos ille Pythagoræ, & ſectatorum ejus, fuit, ut lyræ cantu animum tum ad laborem accenderent, tum ad tranquillitatem traducerent: ut teſtantur Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, Malchus, ſive Porphyrius in vita Pythagoræ, Iamblichus in ejuſdem vita cap. XXV, & XXXII: atque, è Latinis, Cicero in proœmio lib. IV Tuſc. Quæſt. Seneca lib. III de Ira cap. IX, & Quinctilianus lib. IX cap. IV. Hujus verba ſunt: *Pythagoreis certè moris fuit, &, cùm evigilaſſent, animos ad lyram excitare, quò eſſent ad agendum erectiores: &, cùm ſomnum peterent, ad eandem*

dem priùs lenire mentes, ut, ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent. Idem lib. I, cap. X: *Pythagoram, accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, juſſâ mutare in Spondeum modos tibicinâ, compoſuiſſe.* Quod ipſum etiam commemorat Boethius, Muſices lib. I, c. I, Ammonius in Porphyrii Iſagogen, & interpres Græcus Hermogenis in librum περὶ ἰδεῶν. Ac Ammonius quidem, inde comprobat *, Muſicen κοιμίζειν τὰ τῆς ψυχῆς πάθη, διεγείρειν δὲ αὐτὴν ἐπ' ἀρετήν: *animi affectiones ſopire, dirigeréque ad virtutes.* Hermogenis, quem dixi, interpres, † cùm alia ibidem addit; tum ut Empedocles Agrigentinus citharæ cantu adoleſcentem cohibuerit à parricidio. Adhæc ut Lacedæmonii tibiæ cantu ad arma conceſſerint. Notum etiam, ut iidem, cùm ſeditione laborarent, juſſi ſint cantorem Lesbium arceſſere: cumque Terpandrum in συσσιτίοις ‡ canentem audiiſſent, diſcordiâ omiſſâ, in gratiam redierint. Vide Plutarchum lib. de Muſica, & Suidam in Proverbio, Μετὰ Λέσβιον ᾠδήν *. Achillem citharæ cantu mitigatum, apud Homerum videmus. Nempe, ut Athenæus in XIV ait, hanc ſolam illi, ad ſedandum animum irâ antea inflammatum, Homerus reliquit ex ſpoliis Eetionis; qui, Thebarum Ciliciæ rex, Andromaches, Hectori nuptæ, parens fuit. Etiam Getarum legati, ſi pacis, vel induciarũ ergô, mitterentur, ubi pacato eſſet opus animo, citharam pulſantes adveniebant: ut idem ait ex Theopompi hiſtoriarum lib. XLVI. Adhæc Clinias Pythagoricus, ut ibidem Athenæus memorat, homo aſper, & iracundus, ſiquando excanduiſſet, lyrâ aſſumtâ, canere ſolebat; ac, cauſſam rogatus, reſpondit, Πραΰνομαι, *miteſco*: quod etiam refert Ælianus Variæ Hiſtor. lib. XIV, cap. XXIII; credo ex Chamæleonte Pontico. Nam hunc ejus rei auctorem laudat Athenæus lib. XIV. Qui hinc Muſicen colligit. † καὶ τὰὴθη παιδεύειν, καὶ τὰς ὀργὰς εὐδεῖς, καὶ τὰς γνώμας διαφόρους, καταπραΰνειν. *Et mores componere, & iratos, mentiſque parum compotes, lenire ac demulcere.* Cantica, quibus animi à motibus purgarentur, Ariſtoteli in VIII Polit. dicuntur μέλη καθαρτικά. Hujuſmodi autem κάθαρσιν ‡ præcipuè faciunt ſacra cantica: ubi & ſoni dulcedo, & verborum ſignificatio, animum demulcet. Non poſſumus hujus rei illuſtrius habere exemplum, quam quod etiam dæmonem fugat: ut conſtat ex hiſtoria Saulis, & Davidis: de qua lib. I, Samuel. cap. XVI. 23. Cauſſam ejus efficaciæ varii inquirunt. De hoc aliquid jam antè diximus. Deque eodem vide Ioannem Saresberienſem lib. I Policratici cap. VI, Lilium Gyraldum dialogo Hiſt. poet. & Franciſcum Valleſium ſacræ philoſophiæ cap. XXVIII.

* *pag. 12. & ſeq. edit. Ven.*

† *Idem tradit Baſilius de legendis Græcorum ſive gentilium libris: itẽ Suidas in* Τιμόθεος.

‡ *Sodalitiis, quibus ſimul victi capiuntur* Τιμόθεος.

* *Poſt Leſbium cantorem.*

† *pag 623. edit. Commeliana.*

‡ *animi purgationem.*

17. §. *Quid mirum igitur, si soli Arcadum Cinæthenses usque adeò fuerint efferi, ac crudeles; quando soli eorum à Musicis forent alieni?*

Cui potiùs de isto credamus, quàm Arcadi Polybio, quippe Megalopoli nato, & eam afferenti causſam lib. IV*? Ipsum adi, & Athenæum in XIV †. Interim cum multum adeò cælum solumque possint, (ut pro quibus variare temperamentum soleat, uti pro hoc mores) minimè dubium, quin multum etiam contulerit tellus, quam inhabitarent. Nam, ut Athenæus ibidem ait, Cinæthenses, & soli, & cæli ratione, asperrimum Arcadiæ locum incolebant ‡. Τοῖς τόποις συνεξομοιῶσθαι, πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι. *Loco ut similes fiamus omnes, comparatum est à natura.*

* *pag.* 286 *& seqq. edit. Wecheliana.* 1609.
† 626 *edit. Commel.*
‡ *pag.* 617. *edit. Commel.*

18. §. *Fuere tamen & gentium aliæ, quæ, ut Gymnasticen, ita etiam Musicen, aspernarentur. Tales Ægyptii: qui eâ mores credebant molles reddi, & effeminatos.*

Diodorus Siculus de iis libro I: Πάλαισραν, καὶ Μουσικὴν, ὃ νόμιμόν ἐστι παρ' αὐτοῖς μανθάνειν. *Palæstram, & Musicam, apud eos discere, non est moris.* Et mox: τὴν δὲ Μουσικὴν νομίζουσιν ὃ μόνον ἄχρηστον ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ βλαβερὰν, ὡς ἂν ἐκθηλύνουσαν τὰς τῶν ἀνδρῶν ψυχάς. *Musicam non modò inutilem, sed & noxiam esse, ut quæ virorum animos effeminet, persuasum habent.* Ac simile videtur judicium Dionys. Halicarnassens. in præceptis de oratione Panegyrica.*

* *pag.* 33 *& 34. edit. Wechel. Græc. ac Lat. an.* 1615.

19. §. *Nec negamus, esse Musicen, quæ molles faciat; ut Ionicam: sed hoc genus non præjudicat cæteris; velut Dorico, quod masculos inspirat animos.*

Qua de re pluribus dicam mox, ubi variè distribuam Musicen.

20. §. *Magis fortasse aliquis mirabitur, quòd & philosophi quidam, qui omne genus Musices nôsse potuerunt, omnem tamen Musicam damnarunt. Tales Cynici fuerunt.*

Auctor Laërtius lib. VI. Atque ibidem ait, ut Diogenes Cynicus cuidam, artem eam ostentanti, dixerit,

Γυώ-

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις·
Εὖ δ' οἰκῶ, οὐ ψάλμοισι, ἢ πεττίσμασι.
Recte regetur civitas prudentiâ:
Recte simul canendo non regitur domus.

21. §. *Quin fœdissimè de hac arte Ephorus sensit, Isocratis unà cum Theopompo discipulus.*

De quo sic Polybius lib. IV*: Οὐ γὰρ ἡγητέον, μυσικὼ, ὡς Ἔφορός φησιν ἐν τῷ προοιμίῳ τῆς ὅλης πραγματείας, οὐδαμῶς ἀρμόζοντα λόγον αὐτῷ ῥίψας, ἐπ' ἀπάτῃ, καὶ γοητείᾳ, παρεισῆχθαι τοῖς ἀνθρώποις. *Neque enim putandum, quòd Ephorus universi operis sui initio ait, vocem effutiens se minime dignam, Musicam ad fraudem, & deceptionem, fuisse inter homines inductam.* Quod Ephori dictum ex Polybio etiam adducit, at damnat, Athenæus in XIV*.

* *pag.* 289. *edit. Wechel. a.* 1609.

* *pag.* 626. *edit. Commelin. an.* 1597.

22. §. *Vulgo autem longè alia opinio, atque consuetudo, erat Græcis: qui cum Grammatistice, & Gymnastice, sociabant Musicen.*

Hoc cùm aliunde, tum ex Terentio in Eunucho*, comœdiâ palliatâ, satis liquet; unde, quæ fuerint ingenuæ pueritiæ studia apud Græcos, clarè elucet. Nam Chæream, qui pro eunucho deducebatur, sic commendat Parmeno:

* *act.* 3. *sc.* 2.

Fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in Musicis. Quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, sollertem dabo.

Imò hinc colligere est, etiam servitia his imbui solere. Nam Chærea quidem erat ingenuus; sed pro servo fuit introductus. Sic enim Comicus * de eunucho:

* *act.* 2 *sc.* 3.

CHÆR. *O fortunatum istum eunuchum, qui in hanc detur domum!*
PARM. *Quid ita? CH. Rogitas? summâ formâ semper* CONSERVAM *domi*
Videbit, conloquetur, aderit unà in unis ædibus.
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.

Vides eunuchum, & virginem, conservos dici. Chærea igitur, quia pro Doro eunucho, qui Thaidi meretrici donatus (at ingenui non donabantur aliis, nedum meretricibus) commendatur, tanquam bonæ notæ servus. Nempe servi etiam Grammaticen, Musicen, & similes discebant artes; quò domini plus ex iis utilitatis caperent, atque etiam possent,

possent cariùs divendi. Ac servus unus ab altero instruebatur: unde idem Horatius lib. II epist. VII sub nomine Davi, servi edocti à Crispini, philosophi Stoici, servo, sic scribit:

Dum, quæ Crispini docuit me janitor, edo.

Sententia igitur Terentii est: Dorus tibi dono datus, etsi servili sit conditione (nec alioqui donari potuisset) tam peritus est in literis, Musicis, & palæstrâ, ut cum ingenuis possit certare. Adde, quòd ex quatuor ingenuæ pueritiæ studiis, Aristoteli in VIII Politicorum memoratis, solam præterit picturam: quia eam servis discere non liceret: immò nec ingenui omnes eam docebantur. Etsi verò plerique servos etiam instrui curabant tribus istis, quas diximus, disciplinis: non tamen hæc in servis exigebantur. Vnde Cicero ad Att. * *Neque ullam spem prædæ, nisi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te Literis, aut Musicis, eruditos exspectare.* At dispar erat ratio in ingenuis: quibus turpe hæc studia nescire. Hinc Cicero libro IV Acad. Quæst. *In Geometriâne quid sit verum, aut falsum, Dialecticus judicabit? an in Literis, aut in Musicis? At ea non novit. In Philosophia igitur.* Vbi Musicis videmus sociari tum Literas, sive Grammaticen; tum Geometriam, sub quâ & Arithmetice comprehenditur; tum Philosophiam. Sed Philosophia postremum obtinet locum; quia Literæ, Musica, & Mathesis, ad Philosophiam muniunt viam. Addam illustrem Quinctiliani locum è lib. I. cap. XVII: *Grammatice quondam, ac Musice, junctæ fuerunt. Siquidem Architas, atque Aristoxenus, etiam subjectam Grammaticen Musicæ putaverunt: & eosdem utriusque rei præceptores fuisse, cùm Sophron ostendit; mimorum quidem scriptor, sed quem Plato adeò probavit, ut suppositos capiti libros ejus, cum moreretur, habuisse tradatur; tum Eupolis, apud quem Prodamus & Musicen, & Literas, docet. Et Maricus, qui est Hyperbolus, nihil se ex Musice scire, nisi Literas, confitetur. Aristophanes quoque non uno libro, sic institui pueros antiquitus solitos esse, demonstrat. Et, apud Menandrum in Hypobolimæo, senex reposcenti filium patri, velut rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat, opponens, psaltis se, & geometris multa dicit dedisse.*

* *Lib. 4. epist. 15.*

24. §. *Nusquam verò major in Græcia Musicis honos, quàm apud Arcadas, fuit.*

Polybius lib. IV: Οὐδὲ νομιστέον τὰς πρώτας Ἀρκάδων εἰς τὴν ἄλλην πολιτείαν ἀπὸ τοσοῦτον ὥστε μὴ μόνον παισὶν ἔσιν, ἀλλὰ καὶ νεανίσκοις ἡλικιώταις ἕως τριάκοντ' ἐτῶν, κατ' ἀνάγκην σύντροφον ποιεῖν αὐτὴν, τἄλλα τοῖς βίοις ὄντας ἀυστηροτάτους. ταῦτα γὰρ πᾶσιν ἐστὶ γνώριμα, καὶ συνήθη. διόπερ ἀρχαῖον καὶ μόνοις Ἀρκάσι, πρῶτον μὲν οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται καὶ νόμους καὶ ὕμνους

ὕμνους, καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι. μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς Φιλοξένου, καὶ Τιμοθέου νόμους μανθάνοντες, πολλῇ φιλοτιμίᾳ χορεύουσι κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐλοῖς ἐν τοῖς θεάτροις· οἱ μὲν παῖδες, τοὺς παιδικοὺς ἀγῶνας· οἱ δὲ νεανίσκοι, τοὺς τῶν ἀνδρῶν λεγομένους. *Neque existimandum, primos Arcades sine ratione in Repub. suâ formandâ Musicæ tantum tributum isse, ut cum cæteris vitæ institutis uterentur severissimis, in Musicâ tamen erudiri non solùm pueros juberent; verùm etiam adolescentes, ac juvenes, ad annum usque trigesimum. Nam, ut notum, usuque compertum est omnibus, soli ferme sunt Arcades; apud quos pueri primò ab ipsa infantia ex legibus assuescant, hymnos & pæanes canere; quibus more patrio singuli suos heroas, & deos concelebrant. Deinde Philoxeni, ac Timothei nomos addiscentes, quotannis per Liberalia ipsi in theatris cum saltatione, & tibiis, summo studio puerilia, quæ vocant, ludicra pueri agitant; juvenes, quæ dicuntur virorum.* Atque idem, sed Polybium testem advocans, paucis etiam tradit Athenæus lib. XIV †.

† Pag. 626. edit. Commel.

25. §. *Imò apud Arcadas ne turpe quidem habebatur, si disciplinas quis cæteras nesciret, dummodo Musicam calleret.*

Polybius ibidem: Τῶν μὲν ἄλλων μαθημάτων ἀρνηθῆναί τι μὴ γινώσκειν, οὐδὲν αἰσχρὸν ἡγοῦνται· τὸ μὲν ᾄδειν ἔτ' ἀρνηθῆναι δύνανται, διὰ τὸ κατ' ἀνάγκην πάντας μανθάνειν· οὔθ' ὁμολογοῦντες ἀποτείθεσθαι, διὰ τὸ τῶν αἰσχρῶν παρ' αὐτοῖς νομίζεσθαι τοῦτο. *Cæterarum quidem disciplinarum aliquam se tenere si quis negaverit, probri loco non ducunt: at cantandi peritiam neque negare possunt; quia discendi necessitas omnibus incumbit: neque peritiam fatentes, quominus canant, ullam excusationem adferre; quoniam id turpe moribus ipsorum habetur.* Quod & ipsum Polybii testimonio comprobat Athenæus libro antea memorato. Ex quibus satis liquet, cur Maro in Bucolicis dicat:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.

Ac similia alibi, & apud alios, legas.

26. §. *Lacones etiam, utcunque duri, & agrestes, non tamen ab arte Musica fuere alieni.*

Teste Tullio lib. II Tuscul. Quæst. Gravem verò, & masculam, eorum fuisse Musicen, ex Athenæo inferiùs liquebit.

27. §. *Sed Romanorum hac parte longè aliud, quàm Græcorum, judicium fuit.*

Quod discrimen clarè ostendit Cornelius Nepos in operis sui de Imperatoribus præfatione: *Non dubito*, inquit, *fore, Attice, qui hoc genus scripturæ leve, & non satis dignum summorum virorum personis, judicent; cùm relatum legent, quis Musicam docuerit Epaminondam; aut in ejus virtutibus commemorari, saltâsse eum commodè, scientérque tibiis cantâsse. Sed hi erunt fere, qui expertes literarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. Hi si didicerint, non eadem esse omnibus honesta, atque turpia; sed omnia majorum institutis judicari; non admirabuntur, nos, in Grajorum virtutibus exponendis, mores eorum secutos.* Idem in Epaminonda, cùm illa de cantatione ad tibiam, & saltatione, atque alia, memorâsset, ista adjungit: *Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia, & potiùs contemnenda: at in Græcia utique magnæ laudi erant.*

28. §. *Nec tamen Romana gravitas ab eo abhorruit, ut adolescentulæ primariæ discerent lyrâ canere.*

Ita, ut alias omittam, Cornelia, filia Metelli Scipionis, Musicis etiam exculta fuit. Vnde de ea Plutarchus in Pompejo: Καὶ γὰρ αὐτὴ γράμμασι καλῶς ἤσκητο, καὶ αὐλὸν, καὶ γεωμετρίαν. *Quippe in literatura pulchrè erat exercitata, & lyræ cantu, & geometriâ.*

29. §. *Imò aliqui etiam viri summi, sed rari admodum, videntur ab hoc studio laudem, & oblectamentum, petiisse.*

In his Masurius Iurisconsultus, non ille, qui sub Tiberio Cæsare claruit, & à Persio in Satyris memoratur; sed alter junior, Vlpiano æqualis: de quo sic Athenæus in quartodecimo: Μασούριος ὁ πάνυ ἄριστος, καὶ σοφός· καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς ἱκανὸς ἦν, καὶ αὐλητικῷ ἐνησκεῖτο ἀεί· *Masurius, vir longe optimus, & sapiens; qui & interpres legum fuit nulli secundus, & musicis assiduam operam navavit.*

30. §. *Hæc inter Romanos, Græcósque, & earundem gentium inter se ipsas, diversitas judiciorum, partim est à varia gentium indole, partim sectarum, aut singulorum genio diverso.*

Neque enim ea morum gravitas Græcis erat, quæ Romanis: non amor is amœnitatum Cynicis, aut Stoicis fuit, qui Academicis, vel Peri-

Peripateticis; ut de Epicureis nihil dicam: nec in eâdem sectâ, vel extra sectam, par omnium genius fuit.

31. §. *Præterea certum est, non posse de cunctis Musices generibus simile judicium ferri. Quod ut pareat, distinguemus Musicam, tum pro sono, & instrumentis; tum pro modis harmoniæ diversis. Pro sono, Musice est duplex; quia sonus ille harmonicus, vel fit fractione aëris, vel aquæ. Circa posteriorem hunc Hydraulice versatur: quam Ctesibius invenisse dicitur.*

Auctores Vitruvius lib. IX cap. IX, & Plinius lib VII cap. XXXVII.

32. §. *Prior verò sonus, vel ore fit, vel organis. Eum, qui ore fit, dirigit Harmonice.*

Sic dicta καθ' ἐξοχήν. Alioquin sonus harmonicus universæ est Musices objectum.

33. §. *Organica fit instrumentis: quorum alia ἔμπνοα, quæ spiritu inflantur; alia ἔγχορδα, sive ἔντατα, quæ nervis intenduntur; alia κρεμάμενα, sive κρουτὰ, quæ pulsantur.*

Ἔμπνοα sunt buccina, tuba, lituus, &c. Ἔγχορδα, cithara, barbitus, nablia, &c. Κρουτὰ, tympanum, cymbalum, sistrum.

34. §. *Hoc Musices genere dicimur* psallere.

Nempe ore quidem canimus: fidibus, vel alio organo, psallimus. Cicero invectivâ in Catilinam secundâ: *Pueri tam delicati, non solùm amare, & amari, neque cantare, & psallere; sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt.* Suetonius in Tito: *Ne musicæ quidem rudis; ut qui cantaret, & psalleret, jucundè, scientérque.* Nec diffitendum etiam, cani fidibus. Ideo enim Agellius, cùm de oris, & fidium cantu, dicere vellet, sic inquit lib. XIX cap. IX: *Desideravit exhiberi, quos habere eum sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce, & qui psallerent.* Nempe canerent *voce* ait, quia & psallentes canunt: unde & *psaltria* eadem ac *fidicina*: & *cantare tibiis* dixit Cornelius Nepos; ut jam vidimus. Vbi igitur *canere* simpliciter dicitur, & *psallere* ei apponitur, prius de cantu, qui voce fit, intelligendum.

35. §. *Mirè verò tibicinum ars apud Græcos commendabatur.*

Hoc multis adſtruit Athenæus extremo libro IV. Ac primùm ex Chamæleontis Heracleotæ Προτρεπτικῷ, ſive Exhortatorio, refert, Lacedæmonios, ac Thebanos omnes, tibiæ cantui operam navâſſe : item Heracleotas, Ponti accolas ; Athenienſium quoque clariſſimos, ut Calliam Hipponici filium, & Critiam Callæſchri. Duris quoque, ut ibidem legimus, in libro de Euripide, ac Sophocle, tradidit, Alcibiadem didiciſſe tibiâ canere à clariſſimo tibicine Proſnomo. Etiam Pythagorici idem fecere : ut Euphranor, qui de Tibiis librum reliquit, & clariſſimus ille Archytas Tarentinus, nec non Philolaus. Epaminondas didicit eandem artem ab Olympiodoro, & Orthagora; ut ibidem legimus. Sed de Epaminonda mox pluribus, cùm de ſaltatione dicetur.

36. §. *Tribus verò hiſce Muſices formis, Harmonicæ, Organicæ, & Hydraulicæ, quas ſolas Varro agnovit, videtur & quarta, nempe, ut Lucianus vocat,* ὀρχηστικὴ, *h. e.* ſaltatoria, *quæ pedibus fit, adjici debere.*

Sanè Muſices eam partem facit Iulius Pollux lib. IV cap. XIII. Atque iccirco, ut *canere*, & *pſallere*, de quo vidimus, ſubinde conjunguntur : ita & *pſallere*, & *ſaltare*. Salluſtius in Conjuratione Catilinæ : *Hæc mulier* (de Sempronia ſermo) *literis Græcis & Latinis docta : pſallere, & ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ.*

37. §. *Ad ſaltationis honorem pertinet, quòd hoc Muſices genere etiam populus Dei in eo celebrando uteretur.*

Hoc ex Scripturis ſatis eſt manifeſtum. Ac gentiles itidem hyporchemata canebant in Deorum ſacrificiis; neque initiari potuere abſque tripudiis. Apud Romanos item Salii, Martis ſacerdotes, tripudiabant per urbem, ſollemnia cantantes carmina. Præſiliebat unus, ex eo præſul dictus, certáſque adhibebat geſticulationes, ac corporis circumvolutiones. Id videntur dixiſſe *amtruare*, à *trua*, quod à τρύνη. Hinc reliqui Salii exemplum ejus imitabantur : quod eſt *redamtruare*. Lucillius, ſecundùm emendationem Scaligeri :

Præſul ut amtruat, inde & volgu' redamtruat olli.

38. §. *Et-*

38. §. *Etiam extra ſacra apud Græcos magnus ſaltationis honos fuit.*

Sanè Socrates apud Platonem ſtatuit eam in ſeriis diſciplinis. Et eximios viros illam didiciſſe, conſtat; uti Epaminondam: de quo ſic Tullius lib. III de Orat. *Thebanum Epaminondam, haut ſcio, an ſummum omnis Græciæ.* Deque eodem ita Cornelius Nepos in ejus vita: *Eruditus ſic, ut nemo Thebanus magis. nam & citharizare, & cantare ad chordarum ſonum, doctus eſt à Dionyſio: qui non minore fuit in muſicis gloriâ, quàm Damon, aut Lamprus, quorum pervulgata ſunt nomina: carmina cantare tibiis ab Olympiodoro, ſaltare à Calliphrone.*

39. §. *Nec Romana gravitas primitus eam eſt aſpernata in juventute, vel matronis honeſtis: ſed demum poſtquam luxuriæ eſſe inſtrumentum cœpit. Præſertim ſiquis nimium curiosè eam artem didiciſſet.*

Liquet hoc ex Salluſtii loco de Sempronia antea memorato: de quo ſic Macrobius lib. III Saturnal. cap. X: *Taceo, quòd matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant: ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa uſque ad artis perfectionem. Quid enim ait Salluſtius? Pſallere, & ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ. Adeò & ipſe Semproniam reprehendit, non quòd ſaltare, ſed quòd optimè ſciret.* Idem poſtea firmat ex Scipionis Africani Æmiliani oratione contra legem judiciariam Tiberii Gracchi. Item quòd ſaltationis, non ſtudio dico, ſed peritiâ, gloriati ſint Gabinius conſularis, Ciceronis inimicus; M. Cœlius, quem Cicero defendit; & Licinius Craſſus, qui cum patre à Parthis interfectus.

40. §. *In poëſi triplex adhibita eſt ſaltatio;* ἐμμέλεια, κόρδαξ, σίκιννις. *Prima tragica; comica altera; tertia ſatyrica.*

Ita Iulius Pollux lib. IV cap. XIV, Athenæus lib. I, Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubes, Euſtathius ad Iliados Σ. Imò & Ammonius in Κόρδαξ. Sed apud eum perperam σατυρικὴ legitur pro τραγικὴ.

41. §. *Saltatio Italica, quam reperit Bathyllus Alexandrinus, conſtabat ex triplici ſaltationis genere antea memorato.*

Athenæus Deipnoſophiſticôn lib. I: Τῆς ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλαμβάνης

λεμβίης πρῶτος εἰσηγητὴς γένετο Βάθυλλος ὁ Αλεξανδρεύς, ὃν φησὶν νομίμως ὀρχήσασθαι Σέλευκος. τοῦτον τὸν Βάθυλλον φησὶ Αριστόνικος, καὶ Πυλάδης, ὃς ἔστι καὶ σύγγραμμα περὶ ὀρχήσεως, τὴν Ιταλικὴν ὄρχησιν συνήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ· καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια. καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις· διὸ καὶ οἱ σάτυροι σικιννισταί. *Saltationis Tragicæ primus auctor fuisse traditur Bathyllus Alexandrinus; quem rectè saltâsse ait Seleucus. Aristonicus, & Pylades, qui de saltatione librum edidit, Italicam saltationem ab hoc Bathyllo scribunt conflatam fuisse è Comica, quam Cordacа nominabant; Tragicam, quam Emmeliam, & Satyrica, quam Sicinnim; unde & Satyrarum scriptores Sicinnistas nominarunt.* Subjicit deinde discrimen inter saltationem Bathylli, & Pyladis: illam Pyladis fuisse ait ὀγκώδη, παχηλικὴν τε καὶ πολύκοπον· *fastuosam, affectibus movendis idoneam, & operosam:* Bathylli verò ἱλαρωτέραν, *hilarem magis.*

42. §. *Saltationis vim ostendit Memphis Pythagoreus, idemque egregius saltator, qui Pythagoricam philosophiam, in silentio consistentem, saltando pleniùs demonstravit, quàm qui dicendi artem profitentur.*

Refert Athenæus lib. 1. Ac ibidem legas ex Xenophonte, ut Socrati etiam grata fuerit Memphitica hæc saltatio. Sed & Teleſtes, Æschyli saltator, tragœdiam quandam integram saltando expressit, docuitque. Protei quoque fabula, & Empusæ spectrum, originem cepere ex eo, quòd saltando ille omnes formas referret, & hac celeritate pedum in saltando mirum in modum polleret. Mitto de Corybantibus, Castore, & Pollvce, Orpheo, Musæo, Baccho ipso, saltatoribus eximiis; ut ex poëtis cognoscimus.

43. §. *Hactenus vidimus de Musices diversitate, partim pro diversi elementi, aëris puta, vel aquæ, agitatione; partim pro instrumentis diversis. Sequitur divisio à modis; qui, pro fine diverso, aliter atque aliter vocem flectunt. Hi fines variant pro moribus gentium. Quarum præcipuè in considerationem veniunt Æoles, Dores, Iones.*

Ita nobili teste suffultus Athenæus lib. XIV: Ἡ Ἐρυκλείδης ἢ ὁ Πονλυκὲς ἐν τείτῳ περὶ Μουσικῆς, ὑδ' ἁρμονίαν φησὶ δεῖν καλεῖσθαι τὴν Φρύγιον, καθάπερ ὑδὲ τὴν Λύδιον. Αρμονίας γὰρ εἶναι τρεῖς. Τείαν γὰρ τὴν γενέσθαι Ἑλλήνων γένη, Δωριεῖς,

Δωριεῖς, Αἰωλεῖς, Γωνας. *Heraclides Ponticus lib.* III *de Muſica, nec Phrygiam cenſet vocandam harmoniam, nec Lydiam. Tres enim Græcorum nationes eſſe; Æolas, Doras, Ionas, moribus inter ſe non parum diſſidentes.*

44. §. *Ionum cantus hilaris, ac mollis, erat; propterea quòd illis dominati ſunt barbari Aſiæ reges, qui mollitie diffluebant. Doricus cantus, pro natura gentis, non diffuſus, aut hilaris; non varius, ac multiplex; ſed vehemens, ſeverus, tetricus. Æolicus ſuperbus, ac tumidus; uti elata ipſa gens, equorum ſtudio, & conviviis amplis, gaudens.*

Sic de hiſce etiam Athenæus ibidem. Vbi & legas, Lacedæmonios patriam ſervare conſuetudinem; hoc eſt, Doricam harmoniam. Theſſalos verò ſequi modos Æolios, quia, ut ab Æolibus orti, ita eandem vitæ rationem teneant. Modóſque Æolicos dici quoque Hypodoricos, quòd non ſint Dorici prorſus, propiùs interim ad eos accedant. Mileſiorum verò ingenium in Ionibus relucere; qui molles; unde, juxta certiſſimam Scaligeri emendationem, ſic Martialis, vel alius, epigrammatis de Amphitheatro:

Nec Triviæ templo molles laudentur Iones.

Hiſce verò modis addi præcipuè ſolent cantus Lydius, & Phrygius: quos Heraclides, ut antea ex Athenæo vidimus, negabat à tribus illis memoratis eſſe diverſos: nempe quia putaret, ad eos poſſe revocari; nec φύσει* ipsâ differre, ſed accidente duntaxat. Erat autem Muſica Lydorum querula: Phrygum verò, quæ, Ariſtoxeno teſte, Hyagnidis Phrygis inventum erat, gravis ac vehemens: & ut Dorica animum inſpirabat bellicum, ita Phrygia ciebat religionem, ſive ſuperſtitionem potiùs. Atque hæc duo Muſices genera, puta Lydorum, ac Phrygum, ſi audimus Athenæum lib. XIV*, Græcis demum innotuerunt, quando utraque gens cum Pelope in Peloponneſum deſcendit.

* *naturâ, ſive eſſentiâ.*

* *pag. 625. edit. Commelin.*

45. §. *Cum igitur minimè par omnis cantûs ratio ſit; ac ille maſculum inſpiret animum; alius verò emolliat: planè opus eſt diſpicere, cujuſmodi cantus pro tempore quoque alicui conveniat; ne pro medicina quis damnum ferat.*

Hinc Ammonius in Porphyrii Iſagogen: Ακούοντες σάλπιγγος, θυμικώτερον διαθέμεθα. ἢ διὰ τοῦτο ἐν πολέμοις ἡ σάλπιγξ ἐπιτηδεύεται. ἀκούοντες ὁ θεατὴς

θεατρικῶν μελῶν, ἐκλυτότερον ἀφικείμεθα τὰς ψυχάς. *Cùm tubam audimus, vehementius animo concitamur, & audaciores reddimur : ac propterea ejus usus est in bello. Sin in theatris audiamus dulcia illa cantica, animo esse incipimus remisso, ac dissoluto.* De hac Musices varietate sic Maximus Tyrius orat. VII : Οὐδὲ γὰρ ἐν Μουσικῇ μελῶν εἷς νόμος, εἷς χρόνος. Καλὸν μὲν ἐν πολέμῳ τὸ ὄρθιον· καλὸν δὲ ἐν συμποσίῳ τὸ παροίνιον. Καὶ καλὸν μὲν Λακεδαιμονίοις τὸ ἐμβατήριον· καλὸν δὲ Ἀθηναίοις τὸ κύκλιον. Καὶ καλὸν μὲν ἐν διώξει τὸ ἐγκελευστικόν. καλὸν δὲ ἐν φυγῇ τὸ ἀναπαιστικόν. *Nec enim in Musicis unus est modus, aut unum tempus. Pulchrum in bello id, quod orthion nominant : pulchrum in convivio id, quod parœnion vocatur. Ac Lacedæmoniis pulchrum, quod embaterion appellatur : Athenienſibus verò, quod Cyclion dicunt. Pulchrum inſequenti hoſtem, quod encelenſticon : pulchrum fugienti, quod anacleticon nuncupatur.* De hac modorum diverſitate ſic ſcribit Caſſiodorus Variarum lib. II epiſt. XL ad Boëthium : *Hoc totum inter homines quinque tonis agitur ; qui ſinguli provinciarum, ubi reperti ſunt, nominibus vocitantur. Miſeratio quippe divina localiter ſparſit gratiam, dum omnia ſua valde fecit eſſe laudanda. Dorius pudicitiæ largitor, & caſtitatis effector eſt. Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Æolius animi tempeſtates tranquillat, ſonumque jam placatis attribuit. Iaſius intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio gravatis cœleſtium appetentiam bonorum operator indulget. Lydius, contra nimias curas, animæque tædia, repertus, remiſſione reparat, & oblectatione corroborat.* Ad Phrygium numerum pertinent hæc Martiani Capellæ lib. IX : *Quid quòd bella, victoriæque undique meis cantibus conquiſitæ ? Nam Cretes ad citharam dimicabant : Lacedæmonii ad tibias.* De utraque hac gente ſimiliter Polybius lib. IV : Οὐδὲ τὰς παλαιὰς Κρητῶν, καὶ Λακεδαιμονίων, αὐλὸν, καὶ ῥυθμὸν εἰς τὸ πόλεμον, ἀντὶ σάλπιγγος, εἰκῇ νομιστέον εἰσαγαγεῖν. *Neque exiſtimandum, veteres Lacedæmonios, & Cretenſes, loco tubæ tibiam, & rhytmum, ad bella ſine cauſſa uſurpâſſe.* Similiter de utriſque Agellius lib. I cap. XI : ubi de Lacedæmoniis auctorem laudat Thucydidem ; apud quem id legas in quincto belli Peloponneſiaci. De Cretenſibus non tuetur ſe ſcriptore antiquo : ſed poterat adducere Heraclidem in Politicis, ac Polybium, cujus jam verba retulimus ; & ſe paullò vetuſtiorem Plutarchum lib. de Muſica. Poſteáque idem relatum à Martiano Capella lib. IX, & Græco Hermogenis interprete in librūm περὶ ἰδεῶν. Vbi & illud memorat, ut Timotheus cantu ſuo Alexandrum M. ad arma concitârit. Quod etiam refert Dio Chryſoſtomus orat. I de Regno, & B. Baſilius de legendis Græcorum, ſive potiùs gentilium libris. Ac geminum hiſce, quod de Antigenida tibicine ἁρμά-

ἁρμάτειον νόμον * concinente refert Plutarchus lib. 11 de fortuna, vel virtute Alexandri †: ubi regem eum ait sic fuisse eo cantico inflammatum, ut cum impetu arma, quæ in proximo conspiceret, continuò arriperet, ac testimonium ferret Spartiatis ita canentibus: Ἔρπει γὰρ ἀνδρὶ τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν. Quod Budæus reddidit, *Vrget enim in ferrum scitè fidibus canere.* Mirum etiam exemplum de citharœdo, & Erico II, Daniæ rege, prodidit Saxo Grammaticus lib. XII *. Et illi Alexandri M. exemplo, quod jam vidimus, simile de Hippolyto Medice, Cardinale in Pannonia apud exercitum (legatus erat) agente, narrat Hieronymus Magius Var. Lect. lib. IV, cap. XIII. Et quid mirum, si Musica tantum in animos possit humanos; quando & equi tubarum cantu ad prœlium animantur? Quod cùm experientiâ sit notissimum; Plinium, Heliodorum, cæteros, nihil opus ad partes advocare. Quemadmodum autem tubarum clangor eam vim habet in hominibus, & mutis animantibus: ita contra ululatus barbaricus maximè dejicit animos non adsuetos. Ideo Parthi non cornibus, aut tubis, classicum canunt; sed pulsantes ligna cavata, & corio obducta, quibus ærea circumposuere tintinnabula, ad terrendum hostem, fuscum, & dirum edunt clangorem: qui ululatus verius sit, sed tonitrûs habens asperitatem. Hoc valde perculit exercitum M. Crassi cum Parthis pugnaturi: ut est apud Plutarchum in Crasso: ubi addit *, τῶν ἀισθητηρίων ἀπὸ ταραχικώτατόν ἐστι τῆς ψυχῆς, καὶ τὸ περὶ τοῦτο πάθη τάχιστα, καὶ μάλιστα ἐξίστησι τὴν διάνοιαν· *ab auditûs sensu animum turbari maximè, ejusque ocissimè cieri affectum, ac potissimùm mentem de statu dejici.*

* *modum harmation.*
† *pag. 597. edit. H. Stephan. At non de Antigerida, sed Timotheo id referunt alii: in hic Suidas in* Τιμόθεος.
* *pag. 226. edit. Sorana.*
* *pag. 1010. edit. H. Stephan.*

46. §. *Nihil verò æquè disparem arguit vim Musices, quàm quòd, eâ immutatâ, immutari etiam Reip. forma solet.*

Propterea Timotheus Milesius, qui temporibus claruit Philippi, Amyntæ filii, patris Alexandri Magni, cùm in magade, organo Musico, plures adhibuisset nervos, quàm antea solerent; in judicium est vocatus, quasi priscam labefaceret Musicen: ut est apud Athenæum lib. XIV. Hinc Cicero lib. II de Legg. *Graviter olim ista vindicabat vetus illa Græcia, longè providens, quàm sensim pernicies illapsa civium animos malis studiis, malisque doctrinis, repentè totas civitates everteret. Siquidem illa severa Lacedæmon nervos jussit, quos plures, quàm septem haberet, in Timothei fidibus demi.* Terpandro etiam, cum chordam unam in cithara intendisset citra necessitatem: mulcta fuit ab Ephoris indicta, ac paxillo cithara ejus suspensa in rei memoriam. Atque idem Phrynnidi contigit. Testis Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας.

47. §. *Interim dubiæ ſit diſquiſitionis, meliúſne dicatur, Muſicâ immutatâ etiam verti formam Reipublicæ; an inverſis Reip. moribus, Muſicam quoque immutari. Prius eſt Damonis; quem Plato ſequi voluit. Sed alteram in opinionem Cicero fuit proclivior.*

De Damone teſtis Plato ipſe in IV de Rep. ubi eum ait dixiſſe, *non poſſe Muſicen immutari in Rep. quin continuò magna ſequatur Reip. immutatio.* Sed non prorſus aſſenſiſſe Tullium, hæc indicant verba in III de Legibus: *Idque haut paullò eſt verius, quàm quòd Platoni noſtro placet; qui, Muſicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum ſtatus.* Sed fuſiùs hoc ipſum exponit libro de Legibus ſecundo, his verbis: *Civitatúmque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conſervare modum; quarum mores, lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelâque, depravati, ut quidam putant: aut cum ſeveritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum fuit in auribus, animiſque mutatis, etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſſimus vir Græciæ, longéque doctiſſimus, valde hanc labem veretur. Negat enim, mutari poſſe Muſicas leges ſine immutatione legum publicarum: ego autem nec valde id timendum, nec planè contemnendum puto.* Videmus aliquem hic diſſenſum; nec obſcura ejus ratio eſt. Apud Romanos fuit parvum Muſices decus; ut immutatio ejus, Ciceronis ætate, vel exigua fuerit, vel nulla. Diſpar ratio apud Græcos; ubi magnus ejus artis honos; & pluribus viris cordatis obſervatum, vel cum Muſica immutatos mores; ut voluit Plato; vel cum moribus Muſicen; ut maluit Tullius.

48. §. *Quamquam verò tanta ſit vis Muſices: nihil tamen opus, accuratè eam diſcere univerſos: ſed ſufficit in multis, ſi impendant horas quaſdam ſubſicivas. Minimè omnium verò ab iis exigam, qui aut voce minùs valent, aut naturâ ad hoc ſtudium minùs trahuntur. Tum illis, qui ad ſpem Reip. educantur: in qualibus ſæpe guſtus aliquis Muſices ſuffecerit: præſertim cùm fructum hujus artis conſequi iis liceat cantu etiam alieno; utcunque ipſi non admodum ejus ſint intelligentes. Vt mittam, quòd, extra hymnos ſacros, rarò admodum cantent viri graves, inque dignitate conſtituti. Magis id faciunt*

vitâ

vitâ ſordidi, vel vino madidi : alii vix aliter, quàm ſi animum lubeat remittere, ac penè dixerim amittere.

Cui, poſt tot allata antè Muſices præconia, in extremo hîc videamur non honeſtè ſatis loqui de arte honeſtiſſima : is videat, quid Ariſtoteles ipſe dicat libro antè memorato : Οὐ γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτὸς ᾄδει, καὶ κιθαρίζει τοῖς ποιηταῖς· ἀλλὰ καὶ βαναύσους καλοῦμεν τοὺς τοιούτους, καὶ τὸ πεφάτθαι οὐκ ἀνδρὸς μὴ μεθύοντος, ἢ παίζοντος. *Non enim Iupiter canit, neque utitur citharâ apud poëtas. Quin & tales vocamus ſordidos : atque hoc agere non putamus viri, niſi vel ebrii, vel ludentis.*

49. *§. Imò Muſica Phrygia, ac Dithyrambica, & quæcunque animos concitat, ne pueris quidem convenit ; uti nec feminis : ſed illa duntaxat, quæ animos ſedat.*

Vnde Socrates apud Platonem libris de Rep. tibiam improbat : ut quæ animos accendat, præſertim in feminis, quæ iis uſæ ad furorem concitandum in Orgiis Bacchi, & ſacris Magnæ Matris : ubi iccirco & tympanis, ac cymbalis locus. Ac putat Ariſtoteles, quòd Minerva dicitur tibias abjeciſſe, (de quo Melanippidis verſus habemus in quartodecimo Athenæi) id non tam fingi, quòd tibiæ cantus vultum reddat deformem, quàm quia animum perturbet, quem in ſapiente ſedatum eſſe convenit. Iamblichus verò, in vita Pythagoræ, utramque hanc cauſſam junxit : ubi rationes adfert, cur Pythagoras lyram potiùs amârit, quàm tibiam. Sic enim ſcribit cap. xxv : Τὰς γὰρ αὐλὰς ὑπολάμβανεν ὑβριστήν τε, καὶ πανηγυρικὴν, καὶ ἀδαμῶς ἐλευθέριον τὴν ἦχον ἔχειν. *Putabat enim, tibias ſonum habere ad contumelias concitantem, & magis aptum populi conventui, & omnino illiberalem.* Latini tamen aliter videntur judicâſſe. Nam, ut initio quarti Tuſcul. Qu. ex Catonis Originibus refertur, *mos fuit epularum, ut deinceps qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes.* Sed aliter Græci : qui in conviviis lyrâ utebantur : quam cùm Themiſtocles recuſâſſet, habitus eſt indoctior ; ut prodidit Tullius 1 Tuſc. Quæſt. Mirum verò, quòd Plato, (ut VIII Polit. Ariſtoteles obſervat) cùm tibiam arceat, tamen Phrygios modos admittat. Nam quæ vis tibiæ in inſtrumentis : eadem in harmoniis eſt modi Phrygii. Eoque Ariſtoteles rectiùs commendat modos Dorios : quibus omnes conſentiunt ineſſe σωφροσύνην, καὶ ἀνδρεῖόν τι, *ſtabile quid, & maſculum.* Ne id quidem prætereundum, utcunque primitus apud Athenienſes, præſertim poſt bellum

Medicum, gliſcente luxu, magnus fuerit honos tibiis; poſt tempora tamen Alcibiadis habitam rem ſordidam ac illiberalem. Teſtis apud Platonem Socrates, ſic Alcibiadem alloquens: Ἐμαθες γὰρ σύ γε ἔτι μνήμων γε ἔμμαλα, καὶ διφθερίζειν, καὶ παλαίειν· ἃ γὰρ δὴ αὐλεῖν γε ἤθελες μαθεῖν. *Quantum enim memini, didiciſti legere, ſcriberéque, & citharâ canere: nam tibiâ canere noluiſti diſcere.*

50. §. *Quare quis magis notitiâ Muſices laudari, quàm ignorantiâ ejus culpari, mereatur: præſertim ſiquis animum totum applicuerit gravioribus.*

Socrates quidem jàm ſenex à Conno didicit fidibus canere: & in Epaminonda laudatur, quòd commodè ac ſcienter tibiis cantaret: quin ejus etiam præceptores celebrantur, in citharizando Dionyſius, in cantu tibiæ Olympiodorus, in ſaltando Calliphron; teſte Nepote in ejus vita. At Themiſtocles, magnus imperator, neſciebat eam artem. Vnde cùm in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior; ut eſt in Ciceronis Tuſculanis. Sed oggerebat Themiſtocles, ſe, etſi neſciret canendi artem: tamen ſcire artem, quâ civitas ex parva redderetur magna. Spartani Muſicen quidem diſcebant; ſed veterem, & ſimplicem. Itaque in eos, qui aliquid innovarent, tanquam malè ingenioſos, & qui Muſicen veram potiùs corrumperent, ter animadverſum fuit; teſte Athenæo in XIV *. Nempe in Terpandrum, Timotheum, & Phrynidem; ut ſuperiùs † diximus. Romanis verò moribus levis erat Muſices honos: quod ſatis indicat Cornelius Nepos in Vitarum proœmio. Hodie autem ſiquis eam ſolùm deguſtârit, ignorantia illa eo minùs vitio verti debet, quòd vetus Muſica jam diu degeneravit. Nam ſi excepteris, quæ fiunt, tum ſecundùm Scripturam; ubi præcipitur, ut Deum pſalmis, ſacriſque canticis, celebremus: tum ex medicorum præſcripto, qui Muſicen ad melancholiæ morbum proclivibus magno cum fructu commendant: pauci omnino hac arte utuntur ad perturbationes animi ſedandas; plurimi ad voluptatem; nec rarò etiam luxuriem, & proterviam: quo nomine & de ſuo jam olim ævo conqueſtus fuit Athenæus lib. XIV. Plura qui de Muſica, ac ſaltatione, volet, adeat Plutarchi librum de Muſica, Lucianum de ſaltatione, Athenæum lib. XIV: ut præteream ipſos artis ejuſce ſcriptores, tum veteres, tum recentes.

* *pag. 628. edit. Commelin.*

† *46. s.*

C A-

CAPVT V.

DE GRAPHICE,

ſive arte pingendi.

1. §. *TRibus iis artibus, quas diximus, ab aliquibus etiam jungebatur pictura.*

Docet hoc præter Ariſtotelem, & alios, Galenus. Quia verò, quæ ſuperiùs dicebamus de diviſione artium in liberales, & illiberales, non leviter firmat: verba ejus apponam. Sic igitur ille in Exhort. ad perdiſcendas artes: Τέχνλω ἀσκητέον ἐςὶ διὰ παντὸς τ βίκ παραμένσων. Ἀλλὰ διτῆς ὄσης διαφορᾶς τ πρώτης ἐν τ τέχναις· ἔνιαι μὲν γὰ αὐτῶν λογικαί τ εἰσὶ, καὶ σεμναί· πνὲς δ' ἀνασθρόνητοι, καὶ διὰ τ τ σώματος πόνων, ἃς δὴ βαναύσες τὲ καὶ χειρωνακτικὰς ὀνομάζσιν. Ἄμεινον ἂν εἴη τ̃ πρότερα γένες τ τεχνῶν μετέρχεσθαι νεανί· τὸ γάρ τοι δεύτερον γένος αὐτῶν, ἀπολείπειν εἴωθε γηρῶντας τὰς τεχνίτας. εἰσὶ δ' ἐκ τ πρότερα γένες, ἰατρική τε, καὶ ῥητορικὴ, καὶ μσικὴ, γεωμετρία τε, καὶ ἀριθμητικὴ, καὶ λογιστικὴ, καὶ ἀστρονομία, καὶ γραμματικὴ, καὶ νομική. πρόσθες δ' εἰ βούλ ταύταις πλασικὴν τε, καὶ γραφικήν· εἰ γὰ καὶ διὰ τ χειρῶν ἐνεργᾶσιν, ἀλλ' ὅμ ἰσχύος νεανικῶς δεῖται τὸ ἔργον αὐτῶν. *Ars aliqua perdiſcenda eſt per omnem vitam permanſura. Porrò cùm primâ diviſione in geminum diſcrimen artes diſtribuantur (quædam enim ex his ratione conſtant, ſuntque liberales & honeſtæ: quædam contrà contemptibiles, quòd corporis laboribus conſtent; quas ſedentarias, ac manuarias, vocant) præſtiterit ex priore genere quampiam diſcere. Nam poſterius illud genus deſtituere ſolet ſenectute gravatos artifices. Prioris autem generis ſunt Medicina, Rhetorica, Muſica, Geometria, & Arithmetica, Dialectica, Aſtronomia, Grammatica, ac Legum peritia. Adde his, ſi voles, fingendi, pingendique artificium: quanquam enim ambo manuariâ conſtent operâ, neutrius tamen exercitatio eget robore juvenili.* Sed Galenus, ut videmus, etiam pro arte liberali habet πλασικὴν, ſive fingendi artem ex argillâ, cera, aliâve materiâ: unde ſimilitudine petitâ de mollibus, ac cereis puerorum ingeniis, ait Horatius lib. 11 epiſt. 11:

— *argillâ quidvis imitaberis udâ.*

Verùm aliis ſola eſt liberalis γραφικὴ, ſive pingendi ars; quæ in tabula penicillo lineas ducit, & colores addit, ut homines, beſtias, plantas, ædificia, ac alias res, exprimat. Vtrique interim commune,

quod de γραφικῇ * dicebat Socrates, eam εἰκασίαν εἶναι τῶν ὁρωμένων· *esse imitationem, sive repræsentationem eorum, quæ videntur.*

* *arte pingendi.*

2. §. *Græcorum de hac arte judicium ostendit, quòd ingenui solùm pueri diagraphicen in buxo discerent.*

Itaque graphis, quâ in pingendo opus, servis interdicta. De hoc mox Plinii verba adducam.

3. §. *Ars pingendi initia sua habet à natura. Nam insitum est nobis imitari: ac magnam ex imitatione capimus voluptatem; cui ars incrementa sua debet.*

Hinc Philostratus lib. 11 de vita Apollonii cap. x ait: ἡμᾶς φύσει τὸ μιμητικὸν ἔχειν· *nos naturâ habere imitandi facultatem.* Ac postea: Ἀμφω ὁμολογοῦμεν, μιμητικὴν μὲν ἐκ φύσεως τοῖς ἀνθρώποις ἥκειν· τὴν γραφικὴν ὲκ τέχνης. *Ambo consentimus, imitandi facultatem à natura hominibus advenire: pingendi verò peritiam ab arte proficisci.* Alter item Philostratus in præfatione bipartiti Iconum operis: Διὰ ξυμμετρίαν ὁ λόγος ἡ τέχνη ἅπτεται. καὶ βουλομένῳ μὲν σοφίζεσθαι, θεῶν τὸ εὕρημα, ἅμά τε τὰ ἐν γῇ εἴδη, ὁπόσα τὰς λειμῶνας αἱ ὧραι γεγράφασι, ἅμά τε τὰ ἐν οὐρανῷ φαινόμενα βασανίζουσι τὴν τῶν χρώσεων τῆς τέχνης, μίμησις μὲν, εὕρημα πρεσβύτατον, καὶ ξυγγενέστατον τῇ φύσει. ὄρος δὲ αὐτοὶ σόφοι ἄνδρες, τὸ μὲν ζωγραφίαν, τὸ δὲ πλαστικὴν φήσαντες. *Per proportionis commensum, sive membrorum congruentiam, ars ipsa rationem attingit: & siquis, Sophistarum more, loqui voluerit, Deorum est inventum, cùm ob species, quibus in terra Horæ* (hæ Deæ præsunt quatuor anni tempestatibus) *pingunt prata; tum vel maximè, quæ in cœlo apparent. Perscrutanti autem ipsius artis ortum, imitatio utique est vetustissimum inventum, naturæque cognatum. Ipsam autem sapientes excogitarunt viri, partim pingendi, partim fingendi artem appellantes.* De naturali istoc imitandi studio satis diximus libro de Natura, ac Constitutione Poëticæ cap. xi. Quid mirum verò, si & Poëtica, & Pictura, similem habeant originem, quando & aliis in multis conveniunt? sic ut à Simonide dictum sit, picturam esse tacentem poësin: poësin autem loquentem picturam. Refert quoque Plutarchus lib. de audiendis Poëtis.

4. §. *Estque hæc ars vetustissima: utcumque Plinius putârit, eam necdum Trojanis fuisse temporibus. Contrarium enim tum ex*

Homero

Homero evincitur; quo auctore, Vulcanus in Achillis clypeo cœlavit cœlum, ſidera, terráſque: tum Heſiodo, cœlaturam clypei Herculei deſcribente.

Scio, de cœlatura utrobique eſſe ſermonem, non picturâ. Sed etiam hæc eſt pictura quædam, laxiùs eâ voce acceptâ, utcumque cœlo, non penicillo fiat. Nec cœlaturam ſimplici picturâ, quæ cretâ, vel aliter, ſolis fieret lineamentis, ſine coloribus, vetuſtiorem eſſe, credibile eſt. Objicere etiam poſſis, hæc non ſine errore poëtarum dici; qui de Trojani excidii tempore, & eo, quod anteceſſit, ſic locuti ſint, tanquam ſuo: à cujuſmodi erroribus non eſſe immunes poëtas, cùm alibi * oſtendi, tum imprimis lib. I Artis Poëticæ cap. III. Sed enim ut hoc largiremur, alia ſuppetunt, quibus major etiam antiquitas adſtruatur. Vt iis, quæ de Dædalo narrat Apollodorus lib. III bibliothecæ. Fuiſſe eum ait filium Eupalami, nepotem Metionis ex Alcippe, architectum optimum, imò πρῶτον ἀγαλμάτων εὑρετὴν: *primum repertorem imaginum, & ſimulachrorum.* At Dædalus non ante bellum modò Trojanum, ſed & ante Argonauticam expeditionem fuit: ut ex Euſebio liquet, qui de eo ſic ſcribit ad annum IↃ CCXXXVII: *Dædalus viſus eſt ſimulachra feciſſe movenia. Primus enim omnium pedes ſtatuarum à ſe invicem ſeparavit, aliis conjunctim eos fabricantibus. Palæphatus memorat.* Vbi duo de Dædalo referuntur, quòd ſimulachra ejus fuerint pedibus diſcretis, & ab interna vi movercntur. In quibus priorum ſuperavit induſtriam; qui ſimulachra fecerant pedibus junctis, non diſcretis, quales ambulantium: præterea neſciebant ſuis ſimulacris infundere argentum vivum, quo agitante, naturaliter, & per ſe moveri viderentur. Malè verò vel Euſebius, vel Hieronymus, cur αὐτοκίνητα * viderentur, propriè cauſſam putat, quòd pedes eſſent diſcreti. Nam ut ſtatua ſit pedibus disjunctis, non eo videatur per ſe moveri: ſed hoc aliam habet cauſſam, quam jam adduximus ex Themiſtio. Quod ſi ante Dædalum ſtatuæ erant pedibus junctis; antiquiores Dædalo ſtatuæ ſint; credo à Telchinibus: de quibus ſic Siculus lib. v bibliothecæ: Ἀγάλματα θεῶν πρῶτοι κατασκευάσαι λέγονται, καί τινα τῶν ἀρχαίων ἀφιδρυμάτων ἀπ' ἐκείνων ἐπωνομάσθη· *Primi dicuntur fabricâſſe quædam ſimulachra Deorum, & quædam è veteribus ſimulachris ab hiſce Telchinibus Telchinia cognominari.* Quid jam de eo dicemus, quòd, ut Flavius Ioſephus lib. III Antiquit. cap. IV, & IX, imò Moſes ipſe Exodi cap. XXXI, narrat, Deus Beſeleelem, & Ooliabum, deſignârit tabernaculi architectos? in quo opus ſculpturâ, & cœlaturâ: velut in Cherubim effigurandis, atque aliis.

* *Lib. 4 Orator. Inſtit. c. 11. ſect. 7.*

* *per ſe mobilia.*

aliis. Quid quòd ipſe Tara, Abrahæ patriarchæ parens, dicitur fuiſſe ἀγαλματοποιὸς*: quódque Seruchus, filius Ragau, ſive Rehu, Abrahami proavus, primus ſtatuas ſtatuiſſe viris fortibus putatur? Qua de re etiam diximus lib. III de gentili Theologia, & Phyſiologia Chriſtiana, cap. XLV. Quantillo ſic à diluvio abſimus. Nam Sem, filius Noë, Seruchi tritavus fuit. Scio, hæc de ſtatuaria, ſculpturâque, & cœlaturâ, referri, non picturâ: ſed adeò hæc affinia ſunt, ut vulgatus interpres I, ſive III Reg. cap. VI. 32, dicat, *Sculpſit in eis picturam Cherubim.* Vbi Hebræa ſonat, *cœlavit in eis cœlaturas Cherubim.* Vel potiùs, *exſculpſit ſculpturis Cherubim.* Sive, ut ſocer meus, Fr. Iunius, in ſua bibliorum tralatione, reddidit, *incîdit cœſuras Cherubinorum.* Nec veriſimile eſt, picturam multò fuiſſe poſteriorem ſculpturâ, vel cœlaturâ.

* *ſtatuarius*

5. §. *Si Græcos audimus, origo picturæ fuit ex lineis umbræ hominis circumductis. Poſtea & intus lineas ſparſere. Hinc deventum ad picturam* μονοχρώματον, *ſive quæ ſingulis fiat coloribus. Pòſt & umbras invenere, ac lumen, aliáque.*

Plinius lib. XXXV, cap. III: *De picturæ initiis incerta, nec inſtituti operis quæſtio eſt. Ægyptii ſex millibus annorum apud ipſos inventam, priuſquam in Græciam tranſiret, adfirmant, vanâ prædicatione, ut palam eſt. Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes umbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuiſſe: ſecundam ſingulis coloribus, & monochromaton dictam, poſtquam operoſior inventa erat, duráque talis etiam nunc. Inventam linearem dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore, jam tamen ſpargentes lineas intus. Ideo &, quos pingerent, adſcribere inſtitutum. Primus invênit eas colorare teſtâ, ut ferunt, tritâ, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium fuiſſe, quem tradit Cornelius Nepos, ſecutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Priſci Romani Regis patrem, fugientem à Corintho injurias Cypſelli tyranni, mox docebimus. Iam enim abſoluta erat pictura, etiam in Italia.* Quod antiquis Italiæ picturis poſtea demonſtrat. De progreſſu artis deinde cap. V ſic ſcribit: *Tandem ſe ars ipſa diſtinxit: & invenit lumen, atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice ſeſe excitante. Deinde adjectus eſt ſplendor: alius hic, quàm lumen: quem quia inter hoc, & umbram, eſſet, appellaverunt tonon: commiſſuras verò colorum, & tranſitus, harmogen.* Etiam de artis hujus progreſſu, naturâque, illuſtris eſt locus Philoſtrati

lib.

lib. 11 de vita Apollonii cap. x. Vbi negat, ſolùm picturam eſſe, quæ coloribus fit diverſis. Ac rationem hanc ſubjicit: Καὶ γὰρ ἓν χρῶμα εἰς αὐτὸ ἤρκησε τοῖς γε ἀρχαιοτέροις τῶν ζωγράφων· ἢ φοῖνιξ, τέτταρων· εἶτα πλειόνων ἥψαλο· *Quippe & unus color veteribus illis pictoribus ſuffecit: &, procedente arte, quatuor erant ſatis: inde paullatim plures, pluréſque, adhibiti.* Addit deinde alterum argumentum, quòd pictura etiam ſit abſque ullo colore: ut ſi cretâ ſolùm duxeris lineamenta Indi, ſive Æthiopis: quem non aliter concipias, quàm nigrum; ſi ſimas videas nares, genas eminentes, capillorum cincinnos, & quandam ſtuporis imaginem oculis circumfuſam. Ac notum, ut Apelles, cùm Rex Ptolemæus putaret, eum non invitatum acceſſiſſe convivium, ac propterea excandeſceret, carbone aſſumto de foco, ſic in pariete depinxerit eum, qui invitâſſet; ut continuò à rege dignoſceretur. Cùm igitur, etiam ubi color abeſt, ex ſimilitudine formæ ſit agnitio; pictura etiam hæc dici debet: quantóque ſimplicior, tanto exiſtimanda antiquior. Tardiùs enim, ut Philoſtratus ait, color acceſſit: ac primò unicus; hinc quaterni; deinde plures. Hodie pictores habent decem colores palmarios: quos recenſet Cæſar Bullingerus lib. 11 de Pictura, & Scalptura, cap. 111.

6. §. *Interim hæc pingendi ars ſerò admodum à Græcis ipſis inliberalium eſt artium numerum recepta: factúmque id primò auctoritate Pamphili Macedonis, qui Apellis præceptor fuit.*

De hoc, & aliis antè memoratis, ſic ſcribit Plinius lib. xxxv cap. x: ubi de Pamphilo Macedone agit. *Primus in pictura omnibus literis eruditus, præcipuè Arithmetice, & Geometrice: ſine quibus negabat artem perfici poſſe. Docuit neminem minoris talento annis decem: quam mercedem & Apelles, & Melanthius, ei dedere. Et hujus auctoritate effectum eſt Sicyone primùm, deinde & in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc eſt, picturam in buxo, docerentur; reciperetúrque ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honeſti; perpetuo interdicto, ne ſervitia docerentur. Ideo neque in hac, neque in toreutice, ullius, qui ſervierit, opera celebratur.* Quo loco in conſiderationem venit, quòd, utcumque pictura demum Philippi Magni temporibus majori in honore eſſe cœperit; tamen antea quoque in pretio fuiſſe dicatur. Atque hoc etiam cognoſcere eſt ex Thaletis verbis apud Stobæum; ubi ille Ionicæ ſectæ conditor conqueritur, pueros primùm tradi pædotribæ, harmonico, & pictori; adultiorem verò ætatem Arithmetico, & Geometræ.

7. §. *Iis, qui nobilissimæ hujus artis gloriæ invident, vel saltem eam justo nesciunt pretio æstimare, in ore illud esse solet, ex falsis nec lucem veritatis hauriri, nec utilitatem percipi; juxta illud Luciani* †, τὸ χρήσιμον ἐκ ψευδοῦς μόνου συνάγεται *: picturam verò nihil habere veri, cùm non res ipsas repræsentet, sed rerum imagines duntaxat; quandoque & falsarum, velut chimæræ, & similium.*

† *lib. de conscribenda Historia.*
* *utile ex sola veritate colligitur.* puta, per se: nam per accidens etiam ex falsis tum verum sequitur, tum utilitas promanat.

Atque huc referunt illud Lucilianum lib. xx:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Per pictorum verò pergulam intelligitur projecti, sive Mœniani genus; ubi pictores opera sua perfecta populo proponerent. Sic pergulæ Apelleæ meminit Plinius lib. xxxv, cap. x. Est & in Codice Theodosiano de excusat. artif. leg. iv de Picturæ professoribus: *Ad negotiatorum quoque conlationem non devocari. Si modò ea in mercibus habeant, quæ sunt propria artis ipsorum: pergulas, & officinas, in locis publicis sine pensione obtineant.*

8. §. *Qui verò tam iniqui sunt hujus artis judices, mirum si non & poësin ex liberalibus studiis quasi furcillis ejiciant, ob summam ejus affinitatem cum pictura. Quod enim illa calamo, hæc exprimit penicillo.*

Itaque versus Homeri, quibus effinxit Iovem, ut Phidiæ ad sculpendum, sic Euphranori ad pingendum, præbuere archetypon. Vt hac etiam parte verum sit, quod ait Horatius in Arte:

Vt pictura, poësis erit. —

9. §. *Imò est, in quo magnam poësios partem superet pictura. Vt eo, quòd oculis corporis, non animi solùm, aliquid repræsentet.*

Atqui, ut idem ait Horatius in Arte:

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradet spectator.

10. §. *Atque hoc non leviter ad laudem Picturæ pertinet: magis verò, quòd non modò est, ubi Poësin vel æquet, vel vincat: sed*

ſed etiam paria Hiſtoriæ faciat. Nam & Pictura res geſtas ad poſteros tranſmittit. Vnde illi quoque, qui legere hiſtorias neſciunt, ex picturis eas diſcunt. Præterea, ut Hiſtoria, ſic pictæ etiam imagines vehementer ad virtutem, & gloriam accendunt.

Vt qui Hiſtoriæ utilitatem meritò prædicant, hunc etiam Picturæ uſum agnoſcere cogantur. Atque iſta bonam partem etiam ad plaſticæ, ſculpturæ, & ſtatuariæ laudem pertinent. Salluſtius in belli Iugurthini præfatione: *Sæpe audivi, Quinctum Maximum, Publium Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros, ſolitos ita dicere; Cùm majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi. Scilicet, non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſeſe habere; ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; neque priùs ſedari, quam virtus eorum famam, atque gloriam, adæquaverit.*

11. §. *Adde quòd pleraque omnia naturæ, & artis opera, meliùs penicillo pictoris, quàm calamo hiſtorici, ſeu naturalis, ſeu civilis, ob oculos ponantur.*

Vt ſi deſcribenda ſit forma hominis, muti animantis, plantæ, templi, arcis, pontis, & ſimilium.

12. §. *Adhæc cùm pictura conſtet luce, & umbrâ; ac artis ſit opus umbram luci immittere, aut lucem umbrâ obſcurare: ſatis liquet, picturæ etiam mediocri cognitione judicium acui in luminibus, coloribus, & umbris dignoſcendis.*

Quæ res multùm confert & in naturæ ſcientiâ, & in vitâ civili.

13. §. *At cavendus artis abuſus: qualis eſt, ſi illa pingantur, unde corrumpuntur mores.*

Vt ſunt concubitus, præcipuè deorum. Exemplum habemus in Terentiano Chærea, quem ſic Comicus ille loquentem inducit *:

* *Eunuch. act. 3. ſc. 5.*

— *Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet*
Suſpectans tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura hæc, Iovem
Quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat

Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi:
Deum sese in hominem convertisse; atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium; fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens.

Quem ad locum sic Donatus: *Philosophicè nunc Terentius demonstravit, quam cladem moribus hominum, & civitatibus, adferant pigmenta peccarum, cùm exempla scelerum adferunt peccaturis.* Propertium etiam audiamus lib. II, eleg. VI:

Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit castâ turpia visa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.

Firmat hanc sententiam illud Achillis Tatii lib. I de Clitophontis, & Leucippes amoribus: Κἂν γὰρ εἰς σωφροσύνην τις ἑαυτὸν γυμνάζῃ, τῷ παραδείγματι πρὸς τὴν μίμησιν ἐρεθίζεται, καὶ μάλιστ' ὅταν ἐκ τοῦ κρείττονος ᾖ τὸ παράδειγμα. *Etsi ad temperantiam aliquis se comparârit; exemplo tamen trahitur ad imitandum; eóque facilius, quò nobilius se offerat exemplum.* Exinde rationem hanc subjungit, quòd quis, pudore pulso, quo priùs absterrebatur à peccando, mox cogitans, quantus ille sit, qui præiverit, ad licentiam provehatur simile patrandi.

14. §. *Iure igitur Thebis lege prohibitum fuit, nequid obscenè pingeretur, vel fingeretur: mulctáque irrogata adversùs eam peccantibus:*

Vt est apud Ælianum lib. IV Var. Histor. cap. IV. Nempe in picturis comparatum, ut in mimis; quos eampse ob caussam arcebant Massilienses. De quibus sic Valerius Maximus lib. II, cap. VI: *Massilia severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando; quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus; ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.*

15. §. *Vt verò ars hæc summæ est utilitatis, ita & difficultatis. Cujus caussa est, quòd ejus perfectio multarum adeò disciplinarum auxilium requirit. Ac primùm pictor à Geometra accipit lineam, & symmetriam.*

Imò Pamphilus Macedo, Apellis præceptor, negabat perfici artem posse,

posse, sine Arithmetica, & Geometriâ : quibus ille primus pictorum fuit excultus; ut ex Plinio antea vidimus.

16. §. *Ab Optica capit hæc duo; umbram, & lumen;*

Quorum umbra facit recessum, sive ut aliqua longiùs distare videantur : lumen verò præstat, ut quid emineat, sive ut propiùs abesse videatur. Ad prius conducit ater color; ad alterum candidus. De hoc invento superiùs Plinii verba adduximus. Atque abunde hæc elucent ex Amulii Minerva; de qua Plinius lib. XXXV, cap. X: Apellis Hercule aversо; de qua idem lib. XXXVI, cap. V: item ex Bupalo, & Anthermo in Chio; de quibus Lucianus in Dea Syria. Vide & Tzetzem Chil. XI, histor. CCCLXXXI; ac præcipuè lib. VIII, cap. CXCI. Vbi hæc illustrat Phidiæ, & Alcamenis exemplo.

17. §. *Præterea in pictore requiritur naturæ scientia. Est enim cum eo comparatum, uti cum historico. Quia, ut in gestis narrandis, nec fingere licet, quod non evênit; nec præterire, quod evênit : ita neque pictori concessum vel exprimere falsum; vel omittere verum.*

Nempe γραφὴ πρὸς ἀλήθειαν ἡμᾶς *, ut ait Philostratus lib. I Iconum; ubi de Narcisso. Itaque & Petronius Arbiter in Protogenis rudimentis laudat, quòd sic cum naturæ veritate certarent, ut non sine quodam horrore tractarentur. Iccirco & ἀνατομὴ, sive incidendi corporis scientia, plurimùm confert pictori. Nec, ut puto obscura est ejus ratio. Exactiùs enim ejus gnarus humani corporis proportionem in singulis servabit membris. Cúmque non eadem in omnibus sit proportio; faciliùs pulchriorem discernet. Nec enim in uno omnia sunt præstantissima. Ideo Zeuxis Helenam Crotoniatis picturus, ex ingenti multitudine virginum de publico consilio unum in locum conductarum, quinque delegit; ut ex singulis, quod speciosissimum foret, excerperet. Testis M. Tullius initio secundi de Inventione. Atque eandem rem narrat Plinius lib. XXXV, cap. IX. In eo tamen abit, quòd non de Crotoniatis, qui in Italia, id referat; sed de Agrigentinis, qui in Sicilia. Interim convenit iis, quòd uterque dicat, Helenam pictam; non Venerem, quod putabat Cæsar Bullingerus lib. II de Pictura cap. XIII.

* *pictura colit veritatem.*

18. §. *Nec sufficit formam nôsse hominis; sed nôsse etiam convenit*

illam mutarum animantium, plantarum, omnium denique, quæ orbis continet. Nam neque ſummi pictores effugere potuerunt, quin naturæ ignoratione in pingendo aliquid humanitus paterentur.

Exemplo fuerit Nicon, vel, juxta alios, Apelles Epheſius; cui, cùm cætera equum ſcientiſſimè pinxiſſet, unum hoc jure objectum, quòd utrique palpebræ appoſuiſſet cilia, cùm inferior iis careat. Narrat Ælianus lib. IV de Animal. cap. L. Apud Pollucem lib. IV, cap. II. ſect. XII, pictor is non Νίκων, ſed Μήκων appellatur. Atque addit, neſciviſſe pictorem, piſcibus non eſſe palpebras, avibus palpebras, non pilos, quadrupedibus pilos, ſed ſolùm in palpebra ſuperiori, non utrâque, ut homini. Tzetzes Chiliad. XII, hiſtor. CCCCXXVII hunc Niconem appellat: ſed aliis ait vocari Polygnoſtum. Equum verò eum in varia porticu pictum fuiſſe. Sed pro Πολύγνως legendum Πολύγνωτος: de quo poſtea dicetur.

19. §. *A Φυσιογνωμία, & morum ſcientiâ, ſumit pictor mores, & affectus.*

Vnde eſt, quòd aliter exprimit lenem, quàm iracundum; miſericordem, quàm crudelem; fortem, quam fugacem; humilem, quàm gloriæ avidum; atque ita in cæteris. Hinc Graphice Calliſtrato, ubi Æſculapii ſtatuam deſcribit, vocatur ἠθοποιὸς τέχνη, *ars mores effingens.* Ac poterat ſimiliter παθοποιὸς * dicere.

* *affectus effingens.*

20. §. *Imò & in veteribus hiſtoriis rectè pingendis multùm accurata antiquitatis notitia conducit.*

Vt in variarum gentium habitu: item formis templorum, altarium, theatrorum, accubitûs ad menſas, navigiorum, pluriúmque id genus: quæ partim ex hiſtoricorum, atque aliorum libris; partim è ruinis, lapidibus, & nummis vett. cognoſcere licet.

21. §. *Nec ſolùm difficultas artis ex his elucet; ſed etiam quanta ejus ſit tum ſubtilitas, tum nobilitas, ac dignitas.*

Cardanus lib. XVII de Subtilitate * : *Eſt pictura mechanicarum omnium artium ſubtiliſſima; eadem verò & nobiliſſima. Nam quicquid plaſtice, aut ſculptura conatur, mirabiliùs pictura fingit, addit umbras, & colores, &*

* *pag. 573. edit. Lugdunenſis anni 1580.*

opticen

opticen sibi jungit, novis etiam additis quibusdam inventionibus. Nam pictorem omnia necesse est scire, quoniam omnia imitatur. Est philosophus, pictor, architectus, & dissectionis artifex.

22. §. *Quæque de picturæ præstantia diximus, ea magnam etiam partem communia sunt artibus cognatis, vel affinibus. Hujusmodi est sculptura, quæ facit imagines in ligno prominentes: statuaria, quæ idem præstat in lapide, & metallo: cælatura, quæ in ligno, lapide, metallove, imagines facit cavas: adhæc duæ illæ valde vicinæ; chymice, sive fusoria, quæ imaginem è metallo, aliâve materiâ, fundit: & plastice, quæ ex argilla, gypso, vel simili materie, imagines facit.*

De quibus omnibus, postquam de naturali scientia egero, in artibus iis dicam, quæ secundùm scientiam naturæ operantur.

23. §. *Interim hasce etiam artes universas dignitate exsuperat pictura.*

Quod & Cardani judicium est in XVII de Subtilitate: *Cùm videantur tria repræsentandi genera; primùm quidem in superficiebus, vocatúrque pictura: alterum in corporibus jam factis, cælando, sculpendóque: tertium, quod ipsa efficit corpora; vocatúrque plastice: manifestum est picturam omnium harum esse difficillimam, atque ideo nobilissimam.* Id deinde firmat his verbis: *Picturæ partes tres sunt; delineatio, umbra, atque color. Cùm enim in plano effingere corpora cogatur; umbrarum, & delineationum auxilio indiget: ob idque aliis artibus, quæ in corporibus ipsis effigies exprimunt, difficilior est.* Michaël tamen Angelus Bonarota judicabat, sculpturam esse difficiliorem picturâ; eóque plura pinxit, quàm sculpsit. Nempe quia in statua sint diversi magis adspectus pleni anaglyphi. Atque eam quoque sententiam probat Cæsar Bullingerus †. Ludovicus Demontiosius * judicium suum non promit: sed contentus est dicere: *Rerum similitudines exprimere, & quicquid orbis complectitur, imitari, factorum, & pictorum, propria laus semper fuit, dubiâ adhuc inter eos palmâ.*

† *lib. 2 de pictura & statuaria cap. 7.*

* *Ino Commentarii de sculptura, & pictura antiquorum.*

24. §. *Atque hæc universè dicta sunto de artis natura, ac præstantia. Sequitur nunc, ut de Partitione ejus videamus. Prope autem cum Graphice comparatum est, sicut cum Oratoria facul-*

facultate. In hac primùm ſunt argumenta inveniendа; deinde, quæ inveneris, collocanda; poſt ubi diſpoſueris, verborum, ſententiarúmque, luminibus ornanda; ac denique voce, & geſtu, animanda. Pro quibus Oratoria dividitur in Inventionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, & Pronunciationem, ſive Actionem. Itidem in arte Graphica primùm excogitare oportet materiem, atque argumentum ejus, quod pingere velimus. Hinc cogitandum, tum quo loco quidque debeat collocari: tum quis conveniat commenſus ſingularum partium, quem Græci dicunt συμμετρίαν. Exinde diſpiciendum de colore: quo comprehenduntur tum lumen, atque umbra; tum ſplendor, & opacitas. Denique exigitur decor à geſtu, & actione. Vbi manus, oculi, membra alia, in conſiderationem veniunt. Ac, pro hiſce quatuor, totidem Graphices partes ſtatuamus: inventionem, ſive argumentum, vel materiem: οἰκονομίαν, ſive diſpoſitionem, ac ſimul ξυμμετρίαν, quæ & ἀναλογία, vel ἁρμονία, appellatur: colorem, hoc eſt, tum lumen, & umbram, tum ſplendorem, & opacitatem: ac denique motum, ſive geſtum, qui quaſi vitam quandam inſpirat.

Vt inventionem etiam inter partes Graphicæ referamus, ratione compellimur. Nec enim ſapientis eſt aliquid aggredi, unde laudem ſperet, niſi præmeditatò; atque ubi non ingenium modò, ſed etiam judicium intenderit. Vidit hoc etiam Nicias pictor: qui, ut Demetrius Phalereus ait lib. de Elocutione *, ὤετο τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν μέρος εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὥσπερ τὰς μύθους τῶν ποιητῶν· *putabat argumentum ipſum partem eſſe artis pictorum; quemadmodum fabulas poëtarum.* Quod verò hic ὑπόθεσιν nominat, hoc idem etiam vocat γνώμην τῆς γραφῆς †. Aliis ἔννοια * appellatur. Philoſtrato dicitur, τὸ τῆς ζωγραφίας δόγμα †, & ἱστορία τῆς ἔργου *.

* s. 67.

† *mentem picturæ.* * *notitia, ſive intelligentia.* † *fabula pictoris.* * *hiſtoria operis.*

Partem alteram ſtatuebamus eſſe οἰκονομίαν. Sed & τάξις, & σύνθεσις, appellatur: etſi interdum ab οἰκονομίᾳ diſtinguantur; ut ex Fabio liquet. Horatio in Arte vocatur *ſeries, junctúraque.* Qui & de eâdem ſic præcipit:

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

De poëſi ille quidem: ſed par eſt ratio picturæ. Hinc Cicero in Oratore:

Oratore: *Siquis Phidiæ clypeum dissolverit, collocationis universam speciem distulerit.*

Nec tamen sufficit partium ordo; sed etiam requiritur (quam & diversam partem statuere possis) earum convenientia, atque inter se consensus. Græci ξυμμετρίαν, ἀναλογίαν, vel ἁρμονίαν appellant. Plinius lib. XXXIV cap. VIII negat, Latinis vocem esse, quâ exprimant συμμετρίαν. Plinius tamen junior lib. II epist. V, *congruentiam*, & *æqualitatem* vocat. Sic enim scribit: *Si avulsum statuæ caput, aut membrum aliquod, inspiceres; non tu quidem eo ipso posses congruentiam, æqualitatémque, deprehendere: posses tamen judicare, an id ipsum satis elegans esset.* De hac sic in Stobæi Eclogis Ethicis cap. V: Τὸ καλὸν ἐν σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῷ πρὸς ἄλληλά τε, καὶ πρὸς τὸ ὅλον. *Pulcritudo corporis est congruentia membrorum apte constitutorum intuendo invicem, & conferendo totum.* Duo igitur post repertam materiam, sive historiam, conjungere oportet: attendendum, tum ad dispositionem; cui adversatur, si partem unam loco alterius collocâris: tum ad commensum; cui contrarium, si non observetur magnitudo, quam exigunt partes singulæ, tum inter se, tum cum toto collatæ.

Exhinc dispiciéndum de coloribus: sub quibus continentur, tum lumen, atque umbra; quibus fit, ut quædam in opere videantur eminere, quædam recedere: tum splendor, qui est quædam luminis intentio, & tenebræ, quæ sunt profundioris umbræ quædam quasi opacitas. Vnde Plutarchus de discrim. adulatoris, & amici: Οἱ ζωγράφοι τὰ φωτεινὰ καὶ λαμπρὰ τοῖς σκιεροῖς, καὶ σκοτεινοῖς, ὑπολείνουσιν ἐγγὺς παραθέμενοι. *Pictores lucida, & splendida, umbrosis, & tenebrosis intendunt prope constitutis.* Luciano in Xeuxide hoc est, τῶν χρωμάτων ἀκριβῶς τὰ κράσιν, καὶ δίκαιον τὰ ὑπόλλω, ποιήσασθαι, καὶ σκιάσαι εἰς δέον· *colores accurate miscere, & tempestivam adjectionem facere, & decenter inumbrare.*

Supereſt decor à gestu, & actione: qui *motus* vocatur Tertulliano lib. II adversus Marcionem: *Imago cum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsâ caret, non habens motum.* Et ante eum Appuleio in Apologia: *Deest & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipuâ fide similitudinem repræsentat*: ubi plura de eo paullò pòst subjungit. Motus hic variat pro hominis natura, & affectu: atque attenditur tum ratione faciei, ac imprimis vultus: tum etiam manuum. Facies ut dictum, discernitur ex φυσιογνωμονίᾳ *: quæ docet cognoscere ex ea hominum mores. Sed præcipuè considerandum, quo pacto varient vultus, & gestus, pro vario affectu. Aliter enim hi se habent in pollicente, quàm minante: item aliter in metuente supplicium, quàm gau-

* *peritia de natura hominis judicandi ex conspectu corporis.* Corruptis codicibus decepti, *φυσιογνωμίαν* vocant.

gaudente : atque ita in aliis. Nec solùm hæc considerantur in vultu, & maximè oculis, manifestissimis animi testibus : sed etiam manibus, quæ & ipsæ loquuntur. Non parum ista omnia lucis accipiunt ex illis, quæ in Oratoriis Institutionibus * fusè disserimus de Actione, sive corporis gestibus. Prout enim gestus exiguntur in Oratore, ita etiam exprimuntur à Pictore.

* *lib. 6. cap. ult.*

25. §. *Atque hæc quidem sunt quatuor, vel, si* οἰκονομίαν, *&* συμμετρίαν, *separare malis, quinque pictoris officia : pro quibus etiam totidem statuimus Graphices partes. Longè verò utilissimum est, ad singula horum attendere in præstantium artificum operibus. Nec tamen satis est ea considerâsse. Præterea opus est, ut ipsi imitemur.*

Theo Sophista Progymnasm. cap. 1 : Τοῖς ζωγραφεῖν βυλομένοις, οὐδὲν ὄφελος καταγνοεῖν τὰ τε Ἀπελλοῦ, καὶ Πρωτογένους, καὶ Ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν· *Picturæ studiosis nihil profuerit, cognovisse Apellis, Protogenis, & Antiphili tabulas ; nisi & ipsi pingere sint aggressi.*

26. §. *Priusquam verò manum admoveamus tabulæ, discere convenit colorum nomina ; & quomodo terantur, diluantur, ac misceantur ; quò alia quædam exstent, ac promineant ; alia autem suas habeant umbras, ac recessus. Præcipui colorum quatuor sunt ; albus, niger, ruber, cæruleus. Ex quibus albus, & niger, ruber, & cæruleus, maximè distant. Ab albo est lumen, sive claritas ; & tonos, sive intentior luminis splendor. Ab atro verò est umbra, & opacitas.*

Plinius lib. xxxv cap. v : *Indicare naturas colorum, caussa instituti operis prior est. Tandem se ars ipsa distinxit, & invênit lumen, atque umbras ; differentiâ colorum alternâ vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor : alius hic, quàm lumen : quem, quia inter hoc, & umbram esset, appellaverunt tonon : commissuras verò colorum, & transitus, harmogen.*

27. §. *Ex quatuor colorum, quos diximus, mixturâ fiunt cæteri. Ex albo enim, & nigro, componitur cineraceus ; ex rubro, & nigro, fulvus ; viridis ex rubro, & cæruleo ; ex viridi, & rubro,*

rubro, luteus; ex albo, & cæruleo, cæsius ; & ex his item alii, atque alii, magno numero.

Iis, quæ de sile Attico, unde fit color luteus, & purpureus, objici possunt, abunde occurrit Ludovicus Demontiosius : quem adi lib. de Pictura * : ubi & Philandrum, ac Budæum, hac parte deserit. Cæsar Bullingerus denos statuit præcipuos nostræ ætatis colores. Vide eum de his differentem lib. 11 de Pictura, & Statuaria, cap. 11. Omnino autem censeo, & senos illos, quos quatuor memoratis superaddit, ex priorum fieri mixtura.

* pag. 256. & seq.

28. §. *Vbi quis colores, & eorum mixturam, didicerit; tempus est, ut ipse pingere aliquid tentet : sed stultum sit, suæ tum velle phantasiæ indulgere; cùm ferè sic usu veniat, ut quis pessimus sit sui magister. Quare, optimum nobis artificem ob oculos ponamus, oportet.*

Quinctilianus lib. x. cap. 11 : *Omnis vitæ ratio sic constat, ut, quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur; sic Musici vocem docentium; pictores opera priorum; rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum formari videmus.*

29. §. *Imitatio hæc in delineando consistit, & colorando. Delineatio potissima est, ac difficillima Graphices pars. Vnde & multi excellentes artifices intra hanc solam se continent. Est verò delineatio duplex : una vacua; atque hæc solùm extremis constat lineis : altera plena, quæ interioribus etiam partibus suas dat lineas.*

Imprimis verò laborandum de extremo ambitu ; in quo peccari videas à multis : ut qui in medio corpore maximè sint solliciti. At talium planè inutilis, & irritus, est labor. Nam, si quid vitii fuerit in ambitu ; toto peccari opere necesse est.

30. §. *In delineatione potissimùm attendimus exteriorem corporis humani formam.*

In causa est, quòd, uti in scientia naturali præcipuè in considerationem

venit homo, quia, ut veteres magno numero * dixere, eſt μικρόκοσμος †, ac proinde, etiam quicquid eſt extra ſe, continet: ita in picturâ quoque, ſculpturâque, familiam ducit forma hominis externa: quippe quæ una comprehendat, quicquid ineſt in aliarum rerum vel lineis, vel coloribus.

* *Manil. lib. 4. Iul. Firmicus præfat. lib. 3. Matheſeos, Olympiodorus in 1 Meteorolog. & ex vett. Eccleſiaſticis complures.*

† *parvus mundus.*

31. §. *In homine delineando hic ordo ſervetur; ut priùs aliquod hominis membrum deſcribere diſcamus; deinde autem totum hominis corpus.*

Idque nunc figurâ rectâ, nunc obliquâ; quandoque & juſto majori; quò procul adſpicientibus videatur habere modum, quem natura conceſſit.

32. §. *Tum demum cura ſuccedat, ea quæ formavimus, ac figuravimus, etiam colorandi.*

Delineationem, Grammaticen picturæ; colorationem ejus, Rhetoricen poſſumus dicere. Cardanus tamen lib. XVII de Subtilitate * tres haſce picturæ partes facit; delineationem, umbram, & colorem. Sed ſub colore umbram, & lumen, meliùs comprehendi; liquet ex iis, quæ paullò antè diximus.

* *pag. 574. edit. Lugd. a. 1580.*

33. §. *In multicolore picturâ præcipua eſſe harmoges cura debet.*

Sic Plinius commiſſuram colorum, & tranſitum, vocat lib. XXXV, cap. V. Hac ἁρμογῇ, etſi ultima plurimùm diſtent; paullatim tamen minuitur diſcrimen; ſic ut in confinio partes, quæ ſe tangunt, ſenſui idem videantur. Quod qui ignorat, quomodo vel iridem pingeret, vel Centaurum?

34. §. *Atque hæc dicta ſunto de Picturæ tum natura, & inventione: tum uſu, difficultate, ac dignitate: tum etiam partitione, ac diſcendi ordine. Deinceps ex pictorum hiſtoria præcipuos recenſebo: aliquid etiam de artis hujus ſcriptoribus adjungam. Ordior autem à Græcis; quos in tria tempora diſpeſco. Primum eſt eorum, qui vixere ante bellum Perſicum. Ut ſunt, Telephanes Sicyonius; & tres hi Corinthii, Cleanthes, Ardices, & Cleophantus.*

De

De quibus Plinii verba ſuperiùs adduximus. Ac Cleanthis etiam meminit Strabo lib. VIII: ubi ejus refert picturas in templo Alphæoniæ: unam item Aregontis, itidem Corinthii. Cleophantum dicebamus cum Demarato, Tarquinii Priſci parente, Corintho veniſſe in Italiam: unde conſequitur, claruiſſe ætate Anci Marcii regis. Sed ſi vera memorant, eo ipſo antiquior fuerit Bularchus: quippe Romuli regis æqualis. De hoc ita Plinius lib XXXV cap. VIII: *In confeſſo eſt, Bularchi picturis tabulam, in qua erat Magnetum prœlium à Candaule, rege Lydiæ, Heraclidarum noviſſimo, qui & Myrſilus vocatus eſt, repenſam auro. Tanta jam dignatio picturæ erat. Id circa ætatem Romuli acciderit, neceſſe eſt. Duo enim deviceſimâ Olympiade interiit Candaules; aut, ut quidam tradunt, eodem anno, quo Romulus, niſi fallor; manifeſtâ jam tum claritate artis, atque abſolutione. Quod ſi recipi neceſſe eſt; ſimul appâret, multò vetuſtiora principia eſſe; eóſque, qui monochromata pinxerint (quorum ætas non traditur) aliquanto antè fuiſſe; Hygiænontem, Diniam, Charmam, &, qui primus marem feminamque diſcreverit, Eumarum Athenienſem, figuras omnes imitari auſum; quique inventa ejus excoluerit, Cimonem Cleonæum. Hic catagrapha invênit, hoc eſt, obliquas imagines, & varie formare vultus, reſpicientes, ſuſpicientéſque, & deſpicientes. Articulis etiam membra diſtinxit. Venas protulit; prætérque in veſte, & rugas, & ſinus invênit.* Atque hi fuere antè bellum Perſicum; quod incidit in Olympiadem LXX.

35. §. *Sed quia antiquiſſima illa multum habent incerti; venio ad alterum picturæ tempus, quod incipit à bello Perſico: hoc verò incidit in Olympiadem* LXX: *quâ ipsâ mortuus eſt Pythagoras, annis* XII *poſt Româ ejectos reges. Ex his octogeſimâ tertiâ Olympiade erat Panæus, Phidiæ frater; qui & ipſe initio pictor fuit: item Timagoras Chalcidenſis, qui à Panæo ſuperatus Pythiis. Atque hoc primum fuit picturæ certamen publicè inſtitutum.*

Plinius lib. XXXV cap. IX: *Quin imò certamen picturæ, etiam florente eo* (Panæo,) *inſtitutum eſt Corinthi, ac Delphis; primuſque omnium certavit cum Timagora Chalcidenſe, ſuperatus ab eo Pythiis: quod & ipſius Timagoræ carmine vetuſto apparet, Chronicorum errore non dubio.*

36 §. *Ante* XC *Olympiadem claruit etiam Polygnotus Thasius: estque multùm inventis suis celebratus à posteris.*

Meminit Plato lib. III Politic. cui dicitur, Πολύγνωτος ὁ Ἀγλαοφῶντος ἀνδριαντοποιός *. Qui tamen non statuarius modò; sed & pictor fuit. Item Dionysius Halicarn. dissertatione de Demosthenis acumine, ac vi: ubi duos addit, de quibus mox dicam. Nulli, inquit, nisi qui multum temporis in tractandis artificum operibus insumserint, dicere possint de picturis eorum; Πολυγνώτου μὲν αὕτη, Τιμάνθους δ' ἐκείνη, αὕτη δὲ Παρράσιος· *Hæc Polygnoti, ista Timanthis, illa vero Parrhasii.* De Polygnoto etiam sic Plinius lib. XXXV cap. IX: *Post hos clari fuere ante nonagesimam Olympiadem; sicut Polygnotus Thasius; qui primus mulieres lucidâ veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimúmque pictúræ primus contulit. Siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare.* Addit deinde hunc, cum mercede pinxisset pater Mycon, gratuitò Athenis pinxisse porticum, dictam ποικίλῳ *: ac propterea Amphyctiones, quod est publicum Græciæ concilium, hospitia ei gratuita decrevisse. Cum Zeuxide, & Euphranore, conjungit eum Philostratus in vita Apollonii lib. II cap. IX.

* Polygnotus Aglaophontis filius statuarius.

* Variam.

37. §. *Sequitur tertium, ac præcipuum picturæ tempus: quod incipit ab Olympiade* XCIII, *quâ Athenæ ab Lysandro captæ. Tum refulsit Apollodorus Atheniensis.*

Hic, ut Plinius ibidem ait, *primus species exprimere instituit, primúsque gloriam penicillo jure contulit.* Atque hoc in caussa est, cur ab eo tertiam, ac celebratissimam, ordiar pictorum ætatem. De eodem sic Plutarchus, Bellóne, an pace, illustriores fuerint Athenienses: Ἀπολλόδωρος ὁ ζωγράφος, ἀνθρώπων ἐξευρὼν φθορεῖν, ἢ ἀπὸ χρωσὶν σκιαῖς, Ἀθηναῖος ἦν. *Apollodorus pictor, qui primus inter homines reperit colorum misturas, & umbræ usum, Atheniensis erat.* Vbi φθορεῖν non *corruptionem*, vel *interitum*, exposui; ut vox sonat, sed *mixturam*: quia, ut Porphyrius lib. IV περὶ ἀποχῆς *, ait, τὰς μίξεις φθορὰς οἱ ζωγράφοι λέγουσιν· *colorum mixturæ à pictoribus vocantur voce, quæ corruptiones sonat.* Caussam ejus minis adfert idem Plutarchus, quòd ex mixtura sincerorum, sed discordium pigmentorum, eorum fiat mutatio, ac putrefactio. Vide eum lib. VIII Symposiacôn, cap. V, & libro περὶ τοῦ Εἰ ἐν Δελφοῖς.

* de abstinentia animalium.

38. §. *At*

38. §. *At Olympiade* XCV *claruit Zeuxis Heracleotes.*

De quo Plinius, poſt verba proximè allata, continuò ſubjungit: *Ab hoc* (Apollodoro) *artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intravit Olympiadis nonageſimæ quinctæ anno quarto, audentémque jam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxit.* Interim in eo vincebatur à Polygnoto: quòd hujus imagines eſſent ἠθικαί. Ariſtoteles Poetices cap. VI: Οἷον ἡ τῶν ζωγράφων Ζεῦξις πρὸς Πολύγνωτον ἔστησεν. ὁμὲν γὰρ Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος· ἡ δὲ Ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος. *Plane ut inter pictores Zeuxis à Polygnoto differebat. Polygnotus enim mores hominum bellè exprimebat: Zeuxidis pictura mores planè non habet.* Sed poſtrema verba paullùm reſtringi opus. Nam Plinii de Zeuxide eſt lib. XXXV cap. IX: *Fecit & Penelopen, in qua pinxiſſe mores videtur.* De Helenæ ſimulacro, ab eo Crotoniatis picto, eleganter ſcribit Cicero, initio ſecundi de Inventione. Notum etiam ex M. Seneca *, & Plinio †, de uvis ab eo pictis, ad quas advolarent aves; & quàm ægrè hoc tulerit, quòd non meliùs pinxiſſet puerum, quem alioqui aves metuiſſent. Hic opera ſua (ſed cùm jam arte ſuâ magnas parâſſet opes) donare, quàm vendere, maluit. Vt Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao. Videlicet ea, ut Plinius inquit, *nullo ſatis digno pretio permutari poſſe dicebat.* Suo athletæ ſubſcripſerat verſum exinde celebrem:

*lib. 10 controverſ. 5.
† lib. 35. cap. 10.

Μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.
Culpaveris facilius hæc, quàm imitaberis.

Sed Plutarchus id ſubſcriptum ait ab Apollodoro, non Zeuxide. De eodem ita Quinctilianus lib. XII cap. X: *Poſt* (Polygnotum, atque Aglaophontem) *Zeuxis, atque Parrhaſius, plurimùm arti addiderunt. Quorum prior luminum, umbrarumque invenire rationem; ſecundus examinâſſe ſubtilius lineas, traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius, atque auguſtius, ratus, atque, ut exiſtimant, Homerum ſecutus, cui validiſſima quæque forma etiam in feminis placet.* Quàm verò Zeuxis etiam celebris fuerit in vulgo, indicat hoc Plautinum Pœnulo Act. V, ſc. *Fuit hodie:*

—— *O Apella, ô Zeuxis pictor,*
Cur numerò eſtis mortui, hinc exemplum ut pingeretis?
Nam alios pictores nihil moror hujuſmodi tractare exempla.

39. §. *Æquales Zeuxidis quatuor fuere nobiles pictores.*

Auctor Plinius ibidem.

40. §. Pri-

40. §. *Primus eorum Timanthes.*

De quo sic idem Plinius cap. prox. *Timanthi plurimum adfuit ingenii. Ejus enim est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata; quâ stante ad aras perituræ, cùm mœstos pinxisset omnes, præcipuè patruum* (Menelaum;) *cum tristitiæ omnem imaginem consumsisset, patris ipsius vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Sunt & alia ingenii ejus exemplaria: veluti Cyclops dormiens in parvula tabella; cujus & sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros, thyrso pollicem ejus metientes: atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus semper, quàm pingitur: & cum ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est.* De Iphigenia Timanthis similia apud Valerium Max. legas lib. VIII cap. XI, & Quinctilianum lib. II cap. XIII; ubi scitè ait: *In oratione operienda sunt quædam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt. Ut fecit Timanthes, ut opinor, Cithnius, in ea tabula, qua Coloten Teium vicit. Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulyssem, addidisset Menelao, quem summum poterat ars efficere mœrorem; consumtis affectibus, non reperiens, quo dignè modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput, & suo cuique animo dedit æstimandum.* Etiam in Timanthis picturis fuit pugna Arati, Pellenenses ab Ætolorum incursione liberantis: uti est apud Plutarchum in Arato.

41. §. *Alter Androcydes fuit:*

A quo, ut Plutarchus in Pelopida ait, picta Thebanorum victoria, duce Charone ad Platæas. Maximè verò laudati pisces ab eo picti: in quibus eò creditur magis intendisse ingenium, atque industriam, quòd esu illorum imprimis caperetur: ut idem Plutarchus docet lib. IV Symposs. quæst. II.

42. §. *Tertius erat Eupompus, præceptor Pamphili, qui Apellis magister fuit. Ab hoc Eupompo est, quòd duobus picturæ generibus, quæ sola ante eum nota erant, Helladico puta, & Ionico sive Asiatico, accesserit tertium, Helladico in Atticum diviso, & Sicyonium; quod sic dictum, quia Eupompus Sicyonius esset.*

Auctor Plinius lib. XXXV cap. X. Apud eundem cap. VIII legas de Lysippo: *Primò ærarium fabrum audendi rationem cœpisse pictoris Eupompi responso.*

responso. Eum enim interrogatum, quem sequeretur antecedentium, dixisse, demonstratâ hominum multitudine, Naturam ipsam imitandam, non artificem.

43. §. *Quartus fuit Parrhasius Atheniensis, vel, ut alii volunt, Ephesius: qui συμμετρίαν * melius prioribus observavit.*

* *commensum, sive naturalem membrorum competentiam.*

Hunc Xenophon lib. III Ἀπομνημονευμάτων † cum Socrate loquentem inducit: quod ætatem indicat. Atque ejus rei etiam meminit Quintilianus lib. XII cap. X: subdit verò, *plurimùm arti addidisse*: nempe quia *examinârit subtiliùs lineas.* Siquidem *ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent; quia Deorum, atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditæ, cæteri, tanquam ita necesse sit, sequantur.* Cum Scopa, nobili statuario, & Ciceroni etiam laudato in primo de Divinatione, jungit eum Horatius lib. IV od. VIII:

† *Memorabilium.*

— *Divite me scilicet artium,*
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas;
Hic saxo, liquidis ille coloribus,
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Cum Apelle sociat Diodorus Siculus lib. XXVI: Οὔτε Ἀπέλλης, ἢ Παῤῥάσιος, οἱ τοῖς ἐμπειρικῶς κεκερασμένοις χρώμασι προάγοντες εἰς ἀκρότατον ζωγραφικὴν τέχνην. *Neque Apelles, vel Parrhasius, qui, usu edocti, coloribus bene temperatis, artem pictoriam ad summum provexerunt.* Inter cætera pinxit Parrhasius Vlyssis furorem: ut est apud Plutarchum libro, Quomodo sint audienda poëmata. Hic & certavit cum Timanthe: quem inter quatuorviros illos antea primo loco memoravi. De certamine eo sic Plinius lib. XXXV cap. X: *Ergo magnis suffragiis superatus à Timanthe Sami in Ajace, armorúmque judicio, herois nomine se molestè ferre ajebat, quòd iterum ab indigno victus esset.* Rem eandem narrat Athenæus lib. XII. Solùm non exprimit nomen illius, qui Parrhasium vicisset. Meminit ejus Himerius quoque: Δότε μοι τὴν Ζεύξιδος τέχνην, καὶ τὰ Παῤῥασίου σοφίσματα. *Date mihi Zeuxidis artem, & Parrhasii in pingendo peritiam.*

44. §. *Olympiade* CIV *clarus fuit Euphranor Isthmius.*

Plinius lib. XXXV cap. XI: *Post eum* (de Pausia dixerat) *eminuit longe ante omnes Euphranor Isthmius, Olympiade centesimâ quartâ. Hic primus videtur expressisse dignitates heroum, & usurpâsse symmetriam.* De eodem sic Fabius lib. XII cap. X: *Euphranorem admirandum facit, quòd & cæteris*

optimis studiis inter præcipuos, & pingendi, fingendique, idem mirus artifex fuit. De Iove, ab eo effícto ex Homero, antè vidimus. Cùm Polycleto jungitur in Historia Miscella Paulli Diaconi lib. x : ubi sic de Hadriano Imper. *Pictor, fictórque ex ære, & marmore, proxime Polycletos, & Euphranoras.* Sic enim legendus is locus. Imò & Olympiodorus lib. 1. Meteorologicôn Zeuxidi, & Polygnoto, Euphranora sociat ; & dicit tres hosce pulcrè umbras expressisse, nec non τὸ εἰσέχον, καὶ ἐξέχον · *quòd intus se recipit, & quod eminet.*

45. §. *Olympiade* CV *magno in pretio erat Pamphilus, Apellis præceptor ; qui primus in pictura omnibus literis eruditus fuit :*

ut ex Plinio superiùs dicebamus. Eum à cura, unà cum Melanthio, celebrat Fabius lib. XII cap. x. Verba mox apponam.

46. §. *Olympiade* CXII *floruit Aristides Thebanus : qui primus* ἦθη * *expressit, & ad* συμμετρίαν † *præcessit.*

* *mores.*
† *membrorum commensum.*

De hoc ita Plinius lib. XXXV cap. x : *Aristides Thebanus omnium primus animum pinxit, & sensus omnes expressit, quos vocant Græci* ἦθη : *item perturbationes : durior paullò in coloribus.* Ejus verò, quòd de sensibus dixit, hujusmodi exemplum subdit : *Hujus pictura est, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans : intelligitúrque sentire mater, & timere, ne, emortuo lacte, sanguinem infans lambat.* Xenophon tamen lib. III Ἀπομνημον. ait, Socratem philosophum, suum Platonisque præceptorem, qui, ut pater statuarius, ita ipse initio pictor fuit, primum συμμετρίαν dedisse picturæ : eundem etiam, & Clitonem, primos docuisse mores, & varios referre oculorum obtutus. Nempe ad ἦθη, & συμμετρίαν, præivit : sed inventa ejus auxere alii : quibus ideo gloria hæc tributa : præsertim Socrate aliunde sat gloriæ adepto.

47. §. *Etiam Aristides nonnullis ex antiquis primus docuisse creditur* ἐγκαυστικὴν *sive artem ceris pingendi, picturámque inurendi.*

Sic enim Plinius lib. XXXV cap. XI : *Ceris pingere, ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele.* Artis hujus duplex erat ratio :

una

una constabat cerâ pigmentis variis tinctâ ; altera autem in ebore fiebat cestro, sive veruculo igni calefacto. Vnde sic ibidem Plinius : *Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat ; cerâ, & in ebore, cestro, id est, veruculo ; donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo urendi : quæ pictura in navibus nec sole, nec sale, ventisque, corrumpitur.* Vide, quæ de hac arte diximus lib. IV de Theologia gentili, ac Physiologia Christiana, cap. XCI. Vtraque verò encaustices ratio exolevit, hodiéque ignoratur. Interim suam de hac ratione inurendi conjecturam afferre non gravatus est Ludovicus Demontiosius libro de Pictura *. Proximè verò ad veterum encaustum accedit, quod *smaltum*, vocabulo ab Italis profecto, nuncupatur. Vsus eâ voce etiam Anastasius bibliothecarius. Estque ab ea Gallicum *email* : unde, qui id inurunt, *emailleurs*.

* pag. 159. & seq.

48. §. *Verùm non tam gloria est Aristidis, quòd artem illam invenerit, quàm quòd eam auxerit : sicut alii quoque postea illi quædam addiderunt.*

Hoc Plinius * nos docet : qui cùm de Aristide dixisset, verbis proximè memoratis hæc subjungit : *Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere : ut Polygnoti, & Nicanoris, & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit ἐνέκαυσεν : quod profectò non fecisset, nisi encausticâ inventâ. Pamphilus quoque, Apellis præceptor, non pinxisse tantùm encausticâ ; sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium* *, *primùm in hoc genere nobilem. Brietis filius hic fuit, ejusdemque primò discipulus.* Etiam Nicias huc pertinet : de quo sic idem libri ejusdem cap. IV : *Idem* (Augustus) *in Curia quoque, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti : Neæram sedentem supra leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cujus supra caput tabula bigæ dependet. Nicias scripsit se inussisse : tali enim usus est verbo.*

* lib. 35. cap. 11.

* de quo plura Plinius paullo post ; ut & lib. 21. cap. 2. Est Horatii lib. 2. sat. 7 Pausiaca torpes, insane, tabellâ.

49. §. *Æqualis hujus Aristidis fuit Apelles ; qui, quicquid vel antè, vel suâ ætate, pictorum fuit, Venere exsuperavit : unde nec ab alio, quàm Apelle, pingi voluit Alexander Magnus.*

De hoc sic Plinius loco antè dicto : *Omnes priùs genitos, futurósque postea, superavit Apelles ; coúsque Olympiade* CXII *in pictura provectus, ut plura solus propè, quàm cæteri omnes, contulerit ; voluminibus etiam editis, quæ doctrinam eam continent. Præcipua ejus in arte venustas fuit, cùm*

eâdem ætate maximi pictores essent; quorum opera cùm admiraretur, collaudatis omnibus, deesse iis unam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant: cætera omnia contigisse; sed hâc soli sibi neminem parem. Et aliam gloriam usurpavit, cùm Protogenis opus immensi laboris, ac curæ supra modum anxiæ, miraretur Dixit enim, omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora; sed uno se præstare, quòd manum ille de tabula nesciret tollere: memorabili præcepto, nocere sæpe nimiam diligentiam. De eodem refert inter alia, ut fuerit illi *perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit.* Sed quid narrem cætera? Quin potiùs ipse adeatur Plinius. Sunt enim venustissima. Quàm verò non fugerit ipsum, quantus esset artifex; præter ea, quæ Plinius narrat, illud etiam arguit, quòd, ut Plutarchus ait in secundo de fortuna Alexandri, duos esse diceret Alexandros, unum Philippi, ἀνίκητον; alterum Apellis, ἀμίμητον. Ab hoc solo pingi voluisse Alexandrum, tradit Valerius Max. lib. VIII cap. XI: *Quantum porrò dignitatis à rege Alexandro tributum arti existimamus; qui se & pingi ab uno Apelle, & fingi à Lysippo tantùm, voluit?* Et Plinius lib. VII cap. XXXVII: *Idem hic Imperator edixit, nequis ipsum alius, quàm Apelles, pingeret; quàm Pyrgoteles, sculperet; quàm Lysippus, ex ære duceret.* Multum gloriæ meruit pingendo Venerem ἀναδυομένην, sive *è mari emergentem.* Quam fecit ad exemplum Campaspes, pellicis Alexandri: ut est apud Plinium lib. XXXV cap. X. Vel, ut Athenæus lib. XIII * narrat, exemplo Phrynes, conventibus Eleusiniis, aut Neptuni feriis, nudæ, ac capillo passo, mare ingredientis. De hac ita Ovidius lib. IV de Ponto eleg. I:

* pag. 591. ed. Commel.

Vt Veneris artificis labor est, & gloria Coi,
Æquorco madidas quæ premit imbre comas.

Ac Propertius lib. III eleg. VIII:

In Veneris tabulâ summam sibi ponit Apelles.

Etiam, ut Plinius ait lib. XXXV cap. X, *pinxit Apelles, quæ pingi non possunt; tonitrua, fulgetra, fulguráque: Bronten, Astropen, Ceraunobolon, appellant.* Ob hæc, & alia, posuere *Apellis* nomen pro summo pictore; ut *Homeri* pro poëta eximio. Statius Papinius lib. I Sylv.

—— *Apelleæ cuperent te scribere ceræ.*

Vbi *scribere* dixit pro *pingere*, more Græco, quibus γράφειν utrumque notat; unde pingendi ars iis γραφικὴ vocatur. Ac sic quoque non solùm scripta, sed etiam picta, legi dicimus. Maro VI Æn. de Dædali pictura:

—— *Quin protinus omnia*
Perlegerent oculis.

50. §. *Apellis quoque æqualis erat Protogenes.*

Ejus cognoscendi caussâ Apelles, cùm Rhodum navigâsset, & domum ejus venisset, quam anus adservabat; penicillo ex colore tenuem duxit lineam. Protogenes domum reversus ex subtilitate vidit ab Apelle ductam: perque Apellis lineam colore alio duxit tenuiorem. Eam postea conspiciens Apelles, per hanc ipsam duxit longè tenuissimam. Refert Plinius lib. XXXV cap. XIII. Sed non convenit, de quo certârint duo hi nobiles artifices. Quid Ludovicus Demontiosius censeat, videre apud eum potes libro de Pictura *. Eum verò refellit Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum †. Protogenis etiam meminit Petronius Arbiter: *Protogenis rudimenta, cum ipsius naturæ veritate certantia, non sine quodam horrore tractavi.* Item Quinctilianus lib. XII cap. X. Verba eò lubentiùs adscribam, quia & alios inibi memorat nobiles pictores, antea, si Pamphilum exceperis, nobis indictos: *Floruit*, inquit, *circa Philippum, & usque ad successores Alexandri, pictura præcipuè; sed diversis virtutibus. Nam curâ Protogenes; ratione Pamphilus, ac Melanthius; facilitate Antiphilus; concipiendis visionibus, quas Φαντασίας vocant, Theon Samius.* Subdit deinde de Apelle, & Euphranore; de quibus antea vidimus.

* *pag.* 251. *& seq. edit. Leidensis.*
† *pag.* 5.

51. §. *Apellis, & æqualium ætate, ars summo in gradu fuit: nec enim eorum, qui postea secuti, artem quisquam provexit.*

Imò neque fuit aliquis, qui, Apelle morte prærepto, quò absolveret Venerem Cois inchoatam, ad lineamenta prælcripta operi succederet: ut auctor est Plinius.

52. §. *Sed fuere, qui, deteriora secuti, picturam ad humiliora revocarent, inque istiusmodi etiam laudem invenirent: qualis Pyreicus.*

Plinius lib. XXXV, cap. X: *Subtexi par est minoris picturæ celebres in penicillo: è quibus fuit Pyreicus, arte paucis postferendus. Proposito nescio an destruxerit se; quoniam humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas, sutrinásque pinxit, & asellos, & obsonia, ac similia, ob hoc cognominatus Rhyparographos, in iis consummatæ voluptatis. Quippe eæ pluris veniere, quàm maximæ multorum.* Subjungit & alios, qui minutis laudem quæsierint: ut Callicles, & Calaces. Sed utroque ait genere

nere valuiſſe Antiphilum : qui (verba Plinii ſunt) *jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitûs pinxit. Vnde hoc genus picturæ grylli vocantur.* Ac ſimiliter Germani, & Belgæ, **grillen** dicunt de nugacibus, & ridiculis cogitationibus, vel dictis.

53. §. *Atque hi nobiles imprimis fuere picturis. Imò ex iis aliqui etiam libris de pingendi arte, vel picturis, ac pictoribus, laudem peperere : ut Euphranor, Pamphilus, Apelles, & Protogenes.*

De Euphranore ſic Plinius lib. xxxv cap. xi : *Volumina quoque compoſuit de ſymmetria, & coloribus.* De Pamphilo autor Suidas : qui egiſſe ait περὶ γραφικῆς, καὶ ζωγράφων ἐνδόξων· *De pictura, & pictoribus illuſtribus.* Apelles de arte ſua ad Perſeum diſcipulum ſcripſit : ut eſt apud Plinium lib. xxxv cap. x penè extremo. Protogenes pictor condidit libros duos περὶ γραφικῆς, & σχημάτων. *de pictura, & figuris.* Auctor Suidas.

54. §. *Præter iſtos etiam alii è Græcis de pictura, vel pictoribus, commentati. Vt ex iis, qui ſuperſunt, Philoſtratus, & Calliſtratus : ex deperditis Anaximenes, Antigonus, Ariſtodemus, Artemon, Callixenus, Duris, Hegeſander, Hypſicrates, Iamblichus, Melanthius, Polephon, Porphyrius, Theophanes.*

Anaximenis de antiquis picturis liber memoratur Fulgentio libro III Mytholog. fabulâ de Actæone.

Antigoni, qui de Pictura ſcripſerit, mentionem facit Plinius libro xxxv cap. x : ac operis ejus περὶ πινάκων, *de tabulis*, meminit Laertius in Chryſippo. Suſpicor, eundem eſſe Antigonum ſtatuarium, quem de ſua arte volumina reliquiſſe, autor eſt idem Plinius libro xxxiv cap. VIII.

Ariſtodemus è Caria originem ducebat ; atque ejus ſe hoſpitio uſum eſſe ait Philoſtratus præfat. lib. prioris Iconum. Sic enim ſcribit : Ὅσοι μὲν ἓν κεφάτῳ ἡγοῦντο τὴν ἐπιστήμης, καὶ ὅσαι πόλεις, καὶ ὅσοι βασιλεῖς, ἔρωτι εἰς αὐτὴν ἐχρήσαντο, ἄλλοις τε εἴρηται, καὶ Ἀριστοδήμῳ τῷ ἐκ Καρίας· ὃν ἐγὼ ἐπὶ ξωγραφίας ξένον ἐποιησάμην ἐτῶν τεσσάρων. *Quot verò ad hujuſce ſcientiæ culmen pervenerint, ac quot civitates, & reges, ſtudio eam fuerint proſecuti ; cùm ab aliis, tum ab Ariſtodemo, ex Caria oriundo, literarum monumentis eſt proditum : quicum ego ob picturam quadriennio hoſpitio junctus fui.* Sed niſi ſcias, quando Ariſtodemus ille vixerit, neſcitur, quouſque pictorum hiſto-

hiſtoriam, & picturæ amantium civitatum, aut regum, perduxerit. Ætatem verò ejus non aliunde ſcire poſſumus, quàm ex Philoſtrati hujus ætate. Si audimus Suidam, is bipartiti Iconum operis ſcriptor vixerit ſub Severo Imp. uſque ad Philippum. Sed Ξενοκράτης clariſſimi Meurſii opinio erat, floruiſſe temporibus Neronis, uſque ad tempora Trajani. Vide ejus diſſertationem de tribus Philoſtratis: quàm Philoſtrati epiſtolis, primùm à ſe editis, ſubjecit. Hoc ſi eſt, Ariſtodemus Plinio fuerit æqualis: &, utcunque ſupervixerit, non multum tamen poſt eum hiſtoriam pictorum potuerit producere.

Artemon quoque περὶ ζωγράφων * librum compoſuit: ut eſt apud Harpocrationem in Πολύγνωτος. * de Pictoribus.

Callixenus reliquit ζωγράφων τε, καὶ ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφὴν, *pictorum, & ſtatuariorum deſcriptionem.* Ex hoc librum ſuum decimum excerpſerat Sopater: ut auctor eſt Photius.

Duris περὶ ζωγραφίας, *de pictura*, citatur à Diogene Laërtio in vita Thaletis.

Hegeſander non ſolùm de ſtatuis, ſed & imaginibus, ſive picturis, volumen edidit: ut cognoſcimus ex Athenæi lib. v, ubi memorat ejus ὑπόμνημα ἀνδριάντων, καὶ ἀγαλμάτων †. Sanè ἄγαλμα poni pro γραφῇ, Suidas ait. Ariſtoteles tamen diſtinguit: ut qui in VIII Polit. dicat, μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφὴν *. † commentarium de ſtatuis, & picturis. * neque ſimulachrum, neque picturam.

Hypſicratis περὶ πινάκων, *de tabulis*, mentio eſt apud Laërtium in vita Chryſippi.

Iamblichus librum elucubravit περὶ ἀγαλμάτων, *de ſimulachris & imaginibus.* Refutavit hoc opus Philoponus. Adi de utroque Photium.

Melanthius pictor περὶ ζωγραφικῆς † memoratur Laërtio in vita Polemonis. † de pictura.

Polemon, teſtante Athenæo lib. XIII, ſcripſit περὶ ζωγράφων πρὸς Ἀντίγονον· *de pictoribus ad Antigonum.* Item libros reliquit περὶ πινάκων, *de tabulis*: ut eſt apud Laërtium in Chryſippo, & Athenæum lib. XI, & XIII.

Porphyrius item περὶ ἀγαλμάτων * egit. Ex eo quædam legere eſt apud Stobæum in Eclogis Phyſicis cap. XXV. Sed is non tam egit de arte, quàm de cultu. * de ſimulachris.

De Paſitele ſic Plinius lib. XXXVI cap. V. *Quinque volumina ſcripſit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Græciæ Italiæ ora, &, civitate Romanâ donatus cum ſuis oppidanis, Iovem fecit eburneum in Metelli æde, quâ Campus petitur.* Cum Praxitele eum aliqui confundunt: in his Cæſar Bullingerus de Pictura lib. II.

Theo-

**de pictura.* Theophanes περὶ γραφικῆς * laudatur Laërtio in Aristippo.

55. §. *Græcis addo Afrum; sed Regem, & qui Græcè scripserit. Est is Iuba, Mauritaniæ rex.*

Qui *studiorum claritate memorabilior etiam, quàm regni*: ut de eo loquitur Plinius lib. v cap. 1. Ex ejus libris περὶ ζωγράφων † octavum citat Harpocration in Παῤῥάσιος. Eundem etiam περὶ γραφικῆς * scripsisse, cognoscimus, tum ex eodem Harpocratione in Πολύγνωτος: tum Photio, qui ex Sopatri excerptis citat secundum Iubæ de Pictura librum.

† de pictoribus. **de pictura.*

56. §. *Apud Romanos exiguus pingendi arti honos fuit: ut mirandum non sit, si paucissimi eam exercuerint.*

Ex viris illustribus celebratur C. Fabius, Marci filius; qui anno Vrbis IↃL, ut Plinius ait lib. XXXV cap. IV, ædem Salutis pinxit; indéque *Pictoris* cognomen familiæ intulit primus. Pater fuit C. Fabii, qui anno IↃLXXXV, nempe XXXV annis post pictam à patre ædem Salutis, cum Q. Ogulnio Gallo consul fuit. Multiplicem viri docti errorem, duos, quos diximus, & præterea alios duos Fabios Pictores, confundentis, abunde refutavimus lib. I de Historicis Latinis cap III. Petrus Gregorius Tholosanus Syntaxeos Artis Mirabilis lib. XXXI cap. I, ait, Fabio id datum esse laudi, quòd ædem eam pinxerit: & hoc proditum esse à M. Cicerone in primo Tuscul. Quæst. At contrarium potiùs dicit. Ipsum audiamus Tullium: *An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quòd pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos, & Parrhasios, fuisse?* Clarè, cur non celebrati sint Romani ab arte pingendi, caussam esse ait, non ab ingeniorum defectu; sed quòd non arti huic, uti apud Græcos, sic apud Romanos etiam, suus foret honos. Et sanè postea quoque Pacuvius poeta pingendo non tantùm ab arte hac honoris accepit, quàm arti dedit. Plinius loco antè memorato: *Proxime* (post Fabium Pictorem) *celebrata est in foro Boario æde Herculis Pacuvii poëtæ pictura. Ennii sorore genitus hic fuit: clariorémque eam artem Romæ fecit gloriâ scenæ.* Ecce clariorem eo ait factam artem, quòd illam non se indignam putaret Pacuvius: qui poeta ipse esset inclytus, & avunculum habuerit Ennium, magni spiritus poetam, & Africano superiori carum. Subjungit deinde Plinius: *Postea* (pictura) *non est spectata honestis manibus; nisi forte quis Turpilium, equitem Romanum è Venetia nostræ ætatis, velit referre, hodièque pulcris ejus operibus*

operibus Veronæ exſtantibus. Lævâ is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur. Videmus, ut à tempore Pacuvii, qui anno Vrbis ſexcenteſimo, paullo ante III bellum Punicum, claruit, ad ſuam uſque ætatem; hoc eſt, ducentorum annorum ſpatio, neget quemquam pinxiſſe honeſtiorem civem. Excipit tamen mox Q. Pedium, puerum quidem, ſed illuſtri genere natum: ut quem dicat aviam habuiſſe ex familia Meſſallæ Oratoris, nepotem præterea fuiſſe conſularis, & triumphalis viri, à Cæſare Dictatore cohæredis Auguſto dati. Conſulatum enim geſſit anno Vrbis Ↄ CC XI: qui ſex habuit conſules: primum Hirtium, ac Panſam: iis in magiſtratu occiſis, Pedium, quem diximus, & Octavium, cui poſtea Auguſto cognomen fuit: ac denique his ſuffectos C. Carrinatem, & Ventidium Baſſum. Tam illuſtrem puerum in pingendo ſe exercuiſſe, mirari deſinet, qui ſciat, quod Plinius ait, naturâ mutum fuiſſe. Nempe nulla tali diſciplinâ convenientior viſa eſt; atque Auguſtus ipſe, qui puerum attigit ſanguine, judicium hoc comprobavit. Porrò, ut addit Plinius, *puer magni profectus in ea arte obiit.* Interim celebrantur etiam Cæſares quidam ab artis hujus peritia: ut Hadrianus, qui, ut Xiphilinus de eo ſcribit, ἠγ ἔπλαστε, ἠγ ἔγραφε, *& ſtatuas fecit, & tabulas pinxit.* Item M. Antoninus Philoſophus, qui, ut tradit Iulius Capitolinus, *operam pingendo ſub magiſtro Diogneto dedit.* Sed enim iſta didicere, cum ſpes imperii foret nulla. Vt non magis hoc ad picturæ commendationem facere videatur, quàm vitæ paſtorali pretium ſtatuit, quòd Cæſar Fla. Valer. Iuſtinus Iuſtiniani avunculus, teneris in annis boves paverit; vel etiam, quòd David Rex primùm fuerit opilio.

57. §. *Vtcunque vero Romani putare ſoleant, infra ſuam eſſe dignitatem, ſi pingerent: picturas tamen excellentium artificum magno in pretio habuerunt.*

Qui tabulis publicè propoſitis Arti præcipuè dignationem fecerint, Plinius dicet lib. XXXV, cap. IV. Vide eum lib. XXXV, cap. XI, ubi de L. Æmilio Paulo, & Metrodoro Philoſopho, ac pictore, loquitur. Verba ejus adduxi lib. III de Hiſtor. Græc. voce *Metrodorus.*

58. §. *Ex Latinis etiam imagines præſtantium virorum ſuis fuere complexi libris T. P. Atticus, & T. Varro.*

Plinius lib. XXXV, cap. XI: *Imaginum amore flagraſſe quondam, teſtes ſunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro, beniginiſſimo invento, inſertis voluminum ſuorum fecunditati, non nominibus tantum*

ſeptingentorum illuſtrium; ſed & aliquo modo imaginibus, non paſſus intercidere figuras; aut vetuſtatem ævi contra homines valere; inventione muneris etiam Diis invidioſus; quando immortalitatem non ſolùm dedit, verum etiam in omnes terras miſit; ut præſentes eſſe ubique, & claudi poſſent. Plura tam de Attici, quàm Varronis illo opere, afferimus lib. I de Hiſtoricis Latinis cap. XI, & XII; ac permulta, de Varroniano volumine, σὺν Θεῷ adjungam editione ſecundâ.

57. §. *Poſt multorum decurſum ſeculorum, in Italia primùm, avorum noſtrorum ævo, pictura iterum caput extulit. Præcipuam verò ſuperiori ſeculo gloriam meruere ſex iſti: Raphael Vrbinas, Michael Angelus Bonarota, Antonius Corrigienſis Titianus, Sebaſtianus Venetus, Iulius Romanus, Antonius Sartorius.*

Quorum alius hâc, alius aliâ laude præſtantior fuit. Lambertus Lombardus Leodicenſis, celebris, magnique judicii, dum viveret, pictor, præſertim poſtquam cum Reginaldo Polo in Italiam fuerat profectus, ut videre eſt in vita ejus ab homine erudito eleganter exaratâ, atque ab Huberto Goltzio in lucem editâ; hujuſmodi de pleriſque illorum judicium ferebat. Raphaeli Vrbinati tribuebat † χάριτα, ſive Venerem, quam uni ſibi reſervabat Apelles, cùm aliis paria, vel etiam majora, eſſe paratus eſſet agnoſcere. In Titiano Veneto extollebat *amœnitatem, vivacitatemque, res ipſas naturales ſimilitudine adeo indiſcretâ repræſentantium, ut vel acerrimo oculorum ſenſu ad primum adſpectum non rarò imponerent.* In eâdem vitâ legas *. *Adjumento majoris illius obſcuritatis umbrarum omnes propemodum pictores ante Titianum imaginibus ſuis hanc eminendi, atque exſtandi, vim addere conati fuerunt. Nam hic quidem denſa illa umbrarum opacitate, & quaſi inamœna quâdam nocte, repudiatâ, hanc lætam, nitidam, atque oculis naturâ luciſ amantibus gratiſſimam, ac proinde perfectiſſimam, colorum addendorum rationem excogitavit: in qua omnibus ad unum hujus ætatis pictoribus adhuc præcellere exiſtimatur.* Idem Lambertus Lombardus, ut in ejus vita † ſcriptum, Michaelem-Angelum Bonam-rotam Florentinum, cumque eo Bacium Bandinellum, itidem Florentinum, nec non Andream Mantineum, *velut tres heroas ſuſpiciebat, & venerabatur; propterea quòd abſolutiorem intelligentiam, exactiúſque judicium, in horum, quàm reliquorum operibus exiſtimabat ab iis deprehendi poſſe, quorum ſeniores, & religioſiores oculi magis, quam manus facilitatem, eámque, quam dixi Venerem, & colorum lenocinia ſpectarent.* Obiit hic Bonarota Romæ annos natus LXXXVIII.

† *pag.* 13. *edit. Goltziana. an.* 1565.

* *pag.* 23.

† *pag.* 13.

Quæri

Quæri inter picturæ amatores ſolet, utrum recentiores veterum laudem adæquârint, vel etiam vicerint. Ac imprimis controverſia eſt de Apelle, & Michaele Angelo. Contentus ero de iſto etiam adferre judicium ejuſdem Lamberti Lombardi: *Quidam Michelangeli opera antiquis non æquant modo, ſed etiam præferunt. Ipſe* (Lamb. Lombardus) *quamquam de hoc viro inter noſtri temporis artificio idem, quod Græcus poëta de umbra Tireſiæ inter reliquos manes, ſentiret: permittebat ſibi tamen hac in re ab illis judicibus diſſentire: meque interdum, animi cauſſâ, eorum ſententiam juveniliter defendentem ludens rogabat, ut hunc ſibi errorem, ex nimia, ſi ita videri vellem, adverſus auguſtam illam antiquitatem, reverentia natum, ignoſcerem.* Fuſiùs deinde diſſerit, unde ſit, quòd pictores, ſculptoreſque, qui atavorum temporibus fuere, longius receſſerint ab antiquis: atque inde provenerit, ut, quamquam, qui poſtea ſecuti, longiùs hanc artem provexerint, nondum tamen ad priſcum decus perduxerint. Pauca exſcribam: idque eò lubentiùs, quia non ſolùm pertinet ad evellendum multis errorem de graphice, vel ſculptura; ſed in cæteris etiam ſcientiis, & artibus liberalibus, in quibus non minùs peccari penè ab omni juventute ſolet. Sic igitur ille de cauſſis corruptæ picturæ. *Hoc ingeniosè, & rectè, meo quidem judicio, inde eveniſſe conjiciebat, quod hi infeliciorum temporum artifices canonum artis ſibi à doctiſſimis majoribus, velut per manus, traditorum, partim adhuc memores, in ſolis illis acquieviſſent, non jam ampliùs reſpicientes ad res naturales; nec, uti par erat, ipſique majores factitaverant, earum imitandarum ſtudium canonibus adjungentes, donec ſenſim ipſi canones hac rerum naturalium imitatione, tanquam alimento quodam ſuo, deſtituti, ex eorum memoria effluxerunt: ac deinceps recentiores artifices, amiſſis jam canonibus, in ſolam rerum naturalium imitationem incertâ manu, quæque temere, & ſine lege ferretur, incumbere coacti ſint, ut denuo ex hac diuturna, & aſſiduâ exercitatione, canones paullatim elicerent; quos quidem canones, quoniam pauci recentiores artifices aliquâ eruditi ingenii laude floruerint, vero conſentaneum ſit, nondum ad eam certitudinem, & perfectionem, perductos eſſe, quam antiquis ſeculis obtinuerunt, poſt diuturnam ſcilicet exercitationem complurium ingenioſiſſimorum artificum, non interruptâ ſerie ſibi mutuo ſuccedentium, quo tempore Græcia, omnibus jam gravioribus bellis defuncta, ac tranquillæ pacis, atque otii facta compos, in literarum, & humanitatis ſtudiis acquieſcebat, accedente illâ quoque hujus antiquâ perfectionis, & quidem præcipuâ fortaſſis, cauſſâ, quòd apud veteres Græcos Graphice (credo quidem ſculptura quoque, cùm ambæ, ex arctiſſimo inter ſe fœdere mutuâ ope indigentes, eodem ſemper tempore, ac pari paſſu, ad perfectionem tetenderint) quoniam in primo gradu artium liberalium habebatur, ita ut perpetuo interdicto ſervitia inde arcerentur; ab ingenuis, mox ab honeſtis tantùm exercebatur, quorum quòd & liberalior eſſet educatio, & mediocres ſaltem facultates, non tam illi quæſtus, quàm honeſtæ*

neſtæ voluptatis causâ, arti operam dabant. Itaque cùm nullâ insigni necessitate victûs assiduo manuum labore parandi premerentur, ac proinde eo tantum tempore, cum liberet, animusque alacer, & promtus, sponte sua eo ferretur, artem exercerent: atque hujus ipsius temporis tantum, quantum vellent, in operibus suis exactè perpoliendis possent consumere; facilè fiebat, ut nominibus ingeniosis, nec ullius rei, præter laudem, avidis, aliquâ operis sui perfectione magnopere delectatis, plures indies viæ, & rationes ad ejusdem perfectionis incrementa, ac tandem supremum gradum consequendum in mentem venirent. Ecquam enim aliam caussam esse dicemus, cur ne in alio quidem ullo genere artium liberalium hoc seculo habeamus, qui cum veteribus illis doctis, quorum multo maximam fuisse copiam ex historiis colligimus, conferri queant? nisi quod ii, qui nunc studiorum caussâ ad Academias se conferunt, homines ferè tenues, atque à sordida educatione, animo humili, & abjecto, non aliis se disciplinis dedunt, quam è quibus uberius lucrum sperent, atque has quidem ipsas eatenus duntaxat persequuntur, quoad illas ad lucrum ipsum facere videant; reliquis earum partibus, quarum quò minus quæstuosa, eò fere est liberalior cognitio, præteritis, atque neglectis.

60. §. *Fuere & qui Patrum ævo egregiè de arte pingendi scripserint: ut inter Germanos Albertus Durerus de Συμμετρίᾳ; inter Italos Leo Baptista Albertus, qui anno* cIↃ IↃ XL *libros tres de pictura reliquit.*

Natus est ille Noribergæ anno cIↃ CCCC LXXI, ac obiit in patria anno cIↃ IↃ XXVIII. Multum etiam conferet Pomponii Gaurici de Sculptura liber, ac Ludovici Demontiosii de veterum sculptura, cælatura, gemmarum scalptura, & pictura libri duo. Sed omne punctum tulisse videtur, Vir Nobilis, & affinis conjunctissimus, Franciscus Iunius; qui tres reliquit libros de pictura, sanè ut multijugæ lectionis, ita bonæ frugis plenos. Ex his, atque aliis, plurima petere est nobis indicta. Nec enim Graphicen ipsam tradere animus fuit: sed solùm Naturam, & Constitutionem ejus; nisi quòd ad inventionem, & propagationem Artis ostendendam, addidi pauca de illustrium Pictorum historia: quemadmodum in cæteris etiam artibus, ac scientiis facere proposui.

FINIS.

AD-

ADDENDA

huic Operi

DE NATVRA GRAMMATISTICÆ, GYMNASTICÆ, MVSICÆ, ET PICTORIÆ.

PAg. XIV, ℣. 24, poſt *æſtate*, adde:
Sic Mercurialis lib. I, cap. IX. Aliis *Xyſtus* idem eſt, ac palæſtra, quam cum Mercuriali ſextam partem faciebam. Græci Xyſta ἑξεδρομίδας dixere; ut eſt apud Vitruvium lib. V, cap. XI, & lib. VI, cap. VI. Budæus tamen in Pandectas (ſed improbante in Theſauro ſuo H. Stephano) ἐξεδρομίδας legit: eumque in Vitruviano lexico ſequitur Bernardinus Baldus Vrbinas.

Pag. XXIII, ℣. 19, poſt *Orcheſtra ſua*, adde: Eſt vero Saltatio ars, ſed immaterialis. Nec enim natura ad imitationem ſuppeditat ei materiam: Sed ſolùm motu, & habitu, conſtat. Præterea nec opus poſt ſe relinquit.

Pag. XXXII, ℣. 10, poſt *componeretur*, appone: Atque ex his etiam liquet, decipi ſummum virum Iſaacum Caſaubonum, cum in Legationibus è Polybio excerptis num. LXXXI *, παγκρατιαστὴς transfert *quinquertio*, qui Græcis πένταθλος. * *pag.* 907.

Pag. XL, ℣. 11, poſt *penthemimerim*, adde: Alius è junioribus eas Notas uni hoc pacto verſiculo incluſit.

Cur adhibes triſti numeros, cantumque labori?
Vt RElevet MIſerum FAtum, SOLitoſque LAbores.

Pag. eâd. ℣. 13, poſt *ſextam*, appone: Multa etiam de notis Muſices veteribus, mediis, novis, invenies apud Cl. V. veterem condiſcipulum noſtrum, Erycium Puteanum in Muſathena ejus, inprimis cap. VIII, IX, X.

Pag. XLIV, ℣. 35, poſt *aggredior*, appone: Sed id tamen monendum prius, habere hoc quoque Muſicam, quòd, qui viſûs ſenſu non valent, ſenſu auditûs poſſint excellere. Ita Ludovicus Broomannus, à nativitate cæcus, Artium liberalium doctor, Iuris Candidatus, & Muſices princeps, obiit Bruxellis anno CIↃ IↃ XCVII.

Pag. XLV, ℣. ult. poſt XXVIII, appone: Sed imprimis adi Athanaſium

ſium Kircherum artis Magneticæ libro tertio cap. 1. ubi & in plerorumque cauſſas accuratè inquirit. Atque idem fusè tradit, cujuſmodi harmoniâ à Tarantala icti ſanentur, ac quicquid ad animalis ejus naturam, vel ab eo infectorum ſanationem, pertinet. Ea inde peti malo.

Pag. XLVIII, ℣. 33. poſt *fuit*, appone: *Si exceperis Cinæthenſes; de quibus dictum. §. 17.*

Pag. LI, ℣. 15, poſt *nervis*, adjunge: Aut filis æneis.

Pag. LV, ℣. 28, poſt *deſcendit*, adde: Cæterùm Alexander Cornelius, patriâ Cotyæus, cognomento Polyhiſtor, librum compoſuit, quo egit de Muſicis Phrygiis. Memorat Plutarchus initio libri de Muſica. Sed omnia ejus viri deperierunt.

Pag. LXXVI, ℣. 18, ante §. 33, præmitte;

§. Pictura eſt duplex. Vel enim unus duntaxat color tabulæ inducitur, vel varius. Sive autem is unus ſit, cujuſmodi pictura dicitur Monochroma: ſive etiam varius; utrobique fit, ut umbra, & lux, ſuis ſpargantur locis.

Monochromate ante annos non ita multos excelluit in Italia Polydorus, cujus ut Lud. Demontioſius refert *, *exſtant multa præclara opera Romæ, fœcundi admodum ingenii partus.*

* *lib. de Pictura. pag.* 155.

Pag. LXXIX, ℣. 13, poſt *inventione*, adde: Et errat itaque Plinius, cum ſcribit id Agrigentinis ab eo pictum eſſe.

Pag. LXXXIV, ℣. 11, poſt *venuſtiſſima*, appone: At lapſus hic fuit Eraſmus, qui † exiſtimavit Apelli objectum fuiſſe, *quòd manum de tabula neſciret tollere.*

† Dialogo *de Pronuntiatione.*

Pag. LXXXVI, ℣. 19, poſt *Theophanes*, adde: Democritus.

Pag. LXXXVII, ℣. 1, poſt *Ariſtippo*, appone: Democritus etiam de pictura ſcripſit; ut eſt apud Laërtium in ejus vita.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM & VERBORVM.

Numerus prior, qui Romanus est, caput signat; alter, qui barbarus, paragraphum; tertius, qui itidem barbarus, paginam; litera verò A Addenda *notat. Quod si plures numeri barbari concurrant, ii, qui cohærent, commate distinguuntur.*

A

Achilles non alio magis, quam citharæ cantu, mitigabatur; quam ei ex spoliis Letionis, qui Thebarum Ciliciæ Rex, Andromaches, Hectori nuptæ, parens fuit, reliquit solam Homerus. IV, 16. 45. cur ab Homero πόδας ὠκὺς dictus sit. III, 17. 15. 46. 23.

Ægyptii Musicam aspernabantur, & cur IV, 18. 46. eorum de inventa pictura vana jactatio. V, 5. 64.

Æolica Musica superba erat, ac tumida IV, 44. 55. dicitur etiam Hypodorica. *ibid.* eâ utebantur quoque Thessali. *ibid.*

Agellii capitecensos, & proletarios, distinguentis error. I, 1. 2. ejusdem error de Ischiacis tibiæ cantu sanandis. IV, 13. 43.

Agilitas minus conducit Athletis, sed major illius usus est in bello. III, 17. 15. non debet esse expers roboris, ac cursoribus eâ opus est. III, 37. 21.

Agonotheta quis fuerit. III, 77. 30.

Ἀγωγικεία ad statariam luctam pertinet. III, 75. 29.

Albertus Durerus de Συμμετρίᾳ in arte pingendi scripsit. V, 60. 92.

Alcibiades à Prosnomo didicit tibiâ canere. IV, 35. 51.

Alexander Carystius sphæristà ab Athenienssibus civitate donatus; ac statua ei posita. III, 62. 26.

Alexander Cornelius Cottiæus de Musicis Phrygiis scripsit, ac alia, sed omnia deperierunt. A. 94.

Alexander M. à Timotheo, & Antigenida, tibicinibus ad arma concitabatur. IV, 45. 56, 57.

Alexandri Severi mos in Gymnasio. III, 8. 12.

Alimentum siccum valet ad corpus firmandum. III, 29. 19.

Ἀλτηροβολία gymnici certaminis genus. III. 69. 28.

Ἀμπελοτομίαν ab asino vites arrodente didicerunt Nauplienses. IV, 4. 38.

Amphionis fabula explicata. IV, 14. 43, 44.

Amtruare quid fuerit veteribus Romanis. IV, 37. 52.

Anatomices scientiâ cur indigeat pictor. V. 17, 18. 69, 70.

Anaximenes de antiquis picturis scripsit. V, 54. 86.

Andreas Mantineus elegans superioris seculi pictor. V, 59. 90.

Androcydes pictor quando vixerit. V, 41. 80. cur pisces ab eo picti magis laudati sint, quam alia ejus opera. *ibid.*

Antigenidas tibicen Alexandrum M. cantu suo ad arma concitabat. IV, 45. 56, 57.

Antigonus de pictura, de tabulis, & de arte statuaria scripsit. V, 54. 86.

Antiphilus nomen dedit picturæ generi, quod Gryllos vocant. V, 52. 86.

Antonius Corrigiensis Titianus pictor elegans superioris seculi. V, 59. 90.

Antonius Sartorius celebris superioris seculi pictor. V, 59. 90.

Apelles Ephesius utrique palpebræ equinæ apposuit cilia. V. 18. 70.

Apellis factum, cum non invitatus convivium accessisse à Ptolomæo crederetur. V, 5. 65. quam Pamphilo Macedoni mercedem dederit. V, 6. 65. omnes Venere pictores exsuperavit. V, 49. 83, 84. ab eo solo pingi voluit Alexander M. *ibid.* vocabat picturam suam Alexandrum Apellis ἀμίμητον. *ibid.* ejus Venus ἀναδυομένη. *ibid.* nomen ejus pro summo pictore positum. *ibid.* ejus ætate ars pingendi summo in gradu fuit. V, 51. 85. nemo ipsi prærepto morte succedere ausus est, qui Venerem Cois inchoatam absolveret. *ibid.* de arte pingendi etiam scripsit. V, 53. 86. an felicior fuerit Michaele Angelo Bonarota. V, 59. 91.

Ἀποδυτήριον, sive Spoliarium, locus in Gymnasio,

nasio, ubi exuebantur, non est idem, ac conisterium, ut existimavit Perottus. III, 13. 14.

Apollo Enagonius gymnasiis una cum Mercurio præerat. III, 5. 12.

Apollodorus Athenienſis pictor quando vixerit. V, 37. 78. quid primus invenerit. *ibid.*

Apri Musica capiuntur. IV, 11. 41.

Aranea quibusdam dicitur inventrix artis texendi. IV, 4. 38.

Arcades à quibus didicerint literas. II, 8 9. docuere eas Euandrum. *ibid.* Musices fuerunt studiosissimi. IV, 24, 25. 48, 49.

Archytas Tarentinus artis canendi tibiâ gnarus. IV, 35. 52.

Ardices Corinthius pictor primus intus lineas spargere cœpit, sine ullo etiamnum colore. V, 5. 64. quando vixerit. V, 34. 76, 77.

Aristides Thebanus pictor quando vixerit. V, 46. 82. primus ἦθη expressit; & ad συμμετρίαν præcessit. *ibid.* ac ἐγκαυστικὴν primus docuit. V, 47. 82. vel potius auxit. V, 48. 83.

Aristodemus, qui historiam pictorum tradidit, quando vixerit. V, 54. 86, 87.

Aristophanis Scholiastes reprehensus, cum octo enumerat gymnica certamina. III, 85. 32.

Aristoteles emendatus. III, 29. 19.

Aristoxenus Phrygiam Musicam invénit. IV, 44. 55.

Arithmetices scientiâ cur indigeat pictor. V, 15. 68, 69.

Artemon librum composuit de Pictoribus. V, 54. 86, 87.

Artes omnes ad quatuor revocantur genera, & quæ sint illa. I, 1. 1. cum classibus Romanorum conferri possunt. *ibid.* & pag. 2. liberalium aliæ liberaliores sunt aliis. *ibid.* viles, ac mercenariæ, quæ nullum animi studium requirunt, in quo occupentur. I, 2. 3. cur non sint simpliciter viles. I, 3. 4. sanctificavit eas Christus. *ibid.* rectiùs vulgares eas dixeris. I, 5. 4. nisi comparatè eas illiberales, ac viles voces. I, 6. 4. cur ingenuo homine existimentur indignæ. *ibid.* liberales verò etiam redduntur illiberales, si quis in iis modum non servet. *ibid.*

Asclepiades de Gymnastica scripsit. III, 101. 35.

Asiaticum, sive Ionicum, picturæ genus. V. 42. 80.

Asinus Nauplienſibus dicitur ostendisse ἀμπελοτεχνίαν, & cur ei imponatur Silenus. IV, 4. 38.

